Vterina substantia extralla signa.

Cuius rei fidem fecere vnus ex testiculis, qui integer extractus est, crassiorque item membrana, reliqua ex mola, quæ suppurata rupto abscessu, sensim diffluxerat. Reuulso omni eiusmodi corpore, melius ægra habere cœpit, & tamen ante extirpationem nouem totos dies nihil per aluum excreuerat, quatuor vero dies vrina suppressa fuerat. De hinc omnia sibi, naturæ suæ, & staro cursui reddita sunt totumque trimestre sana & egregie incolumis mulier superuixit, donec suborta repente pleuritide interiit. Dissectæ à me & sedulo singula exquirenti nusquam comparuit vterus, sed eius loco callosum quoddam corpus, quod natura, quæ nunquam in nobis otiatur, iacturam eius partis quasi reparatura, vel lacunam potius alui repletura, substituerat. A

De membrana Hymen dicta. CAP. XLII.

Hymen an sit.

QVibusdam virginibus in ceruicis vteri orificio membrana reperitur, Hymen Veteribus dicta, quæ quia viri congressum arcet, sterilitatis causam mulieri infert. Hanc plerique non vulgares modo, sed & docti Medici, virginibus omnibus tanquam virginitatis claustrum inesse credunt. Sed illam ego cum in plerisq; virgunculis omnis fere ætatis à trimatu ad duodecimum vsq; annum, quarum mihi ex Nosocomio Parisiensi plena copia erat, studiose exquirerem, dum rem anatomicam commentarer, non potui reperiri. B

Historia.

Ipsam semel tantum licuit mihi obseruare in virgine septemdecim annos nata, quam cum mater viro despondisset, sciretq; nihilominus, ipsi in pudendis subesse aliquid, quod, quo minus mater & fœcunda esse posset, impediret, rogauit me, vt ipsam inuiserem; Reperi igitur membranam quandam neruosam, tenuissimam, sub nymphis, proxime id foramen, per quod mulieribus vrina effluit, præ foribus (vt sic loquar) orificii ceruicis vteri: medio, sed exiguo, foramine membranula illa peruia erat, qua menses diffluere possent. Contemplatus ergo membranulæ illius tenuitatem, ipsam adactis volsellis rescidi, quidque ad reliquam curationem facto esset opus, matrem admonui: certe nupsit illa paulo post, & prolem peperit.

Lib. 11. c. 16.

Raro reperiri hanc membranulam, mecum sentit Realdus Columbus: *Sub nymphis*, inquit, *in nonnullis virginibus, non omnibus, alia membrana cernitur, Hymen à Veteribus appellata, quæ cum adest, (raro autem adest) obstat, quo minus penis in vterum immittatur: nam crassa est valde; supra, vesicam versus; foramine donatur, per quos menses fluunt.* Addit & hanc se tantum obseruasse in duab. virgunculis, & in vna grandiore. Scribit Auicenna, virginibus in collo matricis panniculos subesse contextos ex venis & ligamentis valde tenuibus, ortis ex eius colli omni parte, qui primo concubitu profuso sanguine disrumpi solent. Scribit Almansor, virginibus ductum seu ceruicem vteri valde angustam & rugosam esse: rugas vero illas venulis multis & arteriolis intertexi, quas primus concubitus diuellat. Hæ sunt Medicorum de hac membranula sententiæ. Affirmant obstetrices, posse se certo virginem à corrupta dignoscere, huius membranulæ integræ vel ruptæ & violatæ argumento. Harum obnuntiationibus dum nimium creduli iudices fidem adhibent, sæpe in errorem impelluntur: nihil enim de illa membrana certum habere obstetrices, ex eo est intelligere, quod situm ei nonnullæ ex his affingunt, primo in pudendi limine, aliæ in media ceruicis vteri via, aliæ in extrema ad vteri interius orificium. Imo quædam in ea sunt hæresi, vt illam inaspectabilem & inperceptibilem esse putent ante primum partum. Profecto de re tam rara, & quæ contra naturam sit, certum quid, quod omnes sequantur, statui nequit. Itaq; qui sanguis primo concubitu effunditur, non semper est ab hac membrana rupta, sed à venulis ruptis & violatis, quę secundum internam vteri superficiem in ceruicem eius descendentes ipsis rugis, quæ venerem nondum expertis quasi conglutinatæ conniuent, implicantur & attexuntur. Quanquam quæ maturæ viro sunt, & plenis annis nubiles, nullum neq; dolorem, neq; sanguinis fluorem, vllamve continui solutionem patiuntur, si præsertim virum sortitæ sint, cui penis sit vteri ceruici magnitudine respondens. Ex quo scire licet, quam fallantur Fezæ metropolis in Mauritania incolæ: *apud eos*, inquit Leo Afer, *sponsus & sponsa simulatque ex Sponsalium solemni apparatu domum sunt regressi, conclaui se obserato abdunt ostio, dum nuptiale paratur conuiuium. Interim annosa quædam mulier præ foribus expectat, quæ porrectum sibi a sponso, iam marito, cruentatum linteolum, in mediam inuitatorum turbam ouans defert, tanquam raptæ virginitatis opimum spolium & symbolum, hac q; demum lege licet discumbere & conuiuari: at si forte fortuna genioq; siniſtro, solenni illo coitu, nihil cruoris sponsæ per genitalia stillarit, redditur illa parentibus: his inde magnum dedecus accedit, inuitatorum vero turba tristis & mœsta impransaque domum recedit.* Quin etiam reperiuntur, quæ lenarum, meretrices ad quęstum pro virgunculis prostituentium, infames artes edoctæ, dum laboriosam & cruentam expugnatæ iam sæpius pudicitię oppugnationem, adstringentibus iniectionibus corrugata & cõstricta vteri ceruice, sic vt lateribus suis conniuere videatur, intrusisq; ac penitus insertis in vuluam vtriculis piscium, aut felleis quadrupedum vesiculis sanguine refertis, fraudis & doli malarumq; artium nescio veneris tyrunculo parant, ita agunt mixtis cum gemitu suspiriis, fœmineis vlulatibus, & crocodili lachrymis, vt virgines & ante hanc diem illibatæ castitatis videantur. C

Lib. 3.

Lib. 3 fen. 22. tract. 1. ca. 1.

Obstetricum de hymene membrana nuga.

Quæ nullum primo concubitu sanguinem profundant.

Mala Gaza rum meretricularum artes.

D

Memorabilis de membrana Hymen dicta, historia. CAP. XLIII.

Cap. 38. lib. de præst. dæmonum.

REfert Ioannes Vuierus. Camburgi virginem extitisse, cui obtensa media in vteri ceruice membrana densa & valida prohibebat, ne menses, cum primum erumpere cœperunt, foras prorumperent: ex eo contigisse, vt suppressa & reflua menstrualis materia, ingentem in ventre tumorem & tensionem faceret, cum dolorum cruciatu, quasi ipsa parturiret: vocatæ obstetrices his, quæ fiebant & apparebãt, animaduersis, ipsam partus dolores pati vna voce affirmabant, etsi ipsa constanter assereret, nunquam sibi E

DE MONSTRIS ET PRODIGIIS.

B

LIBER VIGESIMVS QVARTVS.

PRÆFATIO.

QVæcunque contra communem naturę legem & ordinem fiunt, *Monstra* nominamus. Sic monstrosum dicimus infantem, qui vnico cum brachio, vel qui biceps in lucem prodierit. *Prodigia* vero definimus ea, quæ contra omnem naturæ normam eueniunt; à natura nempe plane aliena & abhorrentia: *quemadmodum si ex muliere Anguis aut Canis nascatur.* Prioris generis censentur omnia, quibus deest aliquid, aut abundat, mutatũ, detritũ, munitum, læsum, aut suo loco minime positũ, eorum, quæ secundum naturam in esse debent, & solent. Gignuntur n. nonnulla interdum pluribus, quã iustum sit digitis, alia vno tantũ: alia fissis, qui cohærentes esse debent: alia cohærentibus, cũ diuisos esse natura voluerit; nonnulla etiam dupliciti genitali, altero maris, altero fœminæ nascuntur. Iam & cornu gerens in crure capra Aristoteli conspecta est: sed corC de carẽs animal nullum vnquam ortũ est: at liene carens, duplicẽ habens lienem, & altero vacans rene visum est. Iecore etiã carens totũ nullum notatum est, quanquam quod non totũ haberet, iã patuit. Felle itẽ priuata prodierunt, cum sua natura habere deberent. Iam locis etiam permutatis iecur latere siniſtro, lien dextro contineri visus est. Mulieres etiam quædam haud peruia vulua & perforata, obstaculo membranaceo, quod Hymen vocant, oppositO, & homines ano, auribus, naribus, & cæteris meatibus haud apertis nascuntur, & pro monstrosis aberrante à scopo suo natura, habentur. Sed ea demum monstra infaustum aliquid monstrare putant, quæ valde à sua natura discesserunt.

Monstrum quid.

Prodigium quid.

Lib. de gen. anim, ca. 4.

De causis Monstrorum, ac primum de Monstris, quæ ad Dei gloriam & ad vlciscenda hominum scelera apparent.

CAP. I.

MOnstrorum plures numerantur causæ. Prima est Dei gloria, vt scilicet restitutis his, quæ præter naturã sunt, eius magna vis innotescat hominibus nescientibus eã. Sic enim discipulis Domini quę-
D rentibus, quid vel ille, cui cæco nato visum ipse dederat; vel parentes eius peccassent: Respondit Christus, nec cæcum, nec cæci illius parentes tantum in se errorem admisisse, sed hoc tantum contigisse, vt Dei gloria & maiestas illo miraculo & tantis operibus diuulgaretur.

Altera, vt Deus hominum scelera vel vlciscatur, vel mox futuræ vltionis signa præmonstret. Quia enim sine modo, sine lege, vel vago, vel nefando concubitu, vel quo tempore Dei & Ecclesiæ mandato abstinere decet, miscent se parentes, ideo nefanda sæpe, horrenda & à naturæ comunis regula deuia nascuntur. Sic enim apud Esdram Prophetam legimus, quod mulieres, quæ fluentibus mensibus viris se miscuerint, monstra parient.

Anno Domini 1254. Veronæ equa pullum equinum peperit, cætera quidem equum, sed humana plane facie. Paulo post bellum inter Tuscos & Pisanos exarsit, quo vniuersa fere Italia conflagrauit. Eius monstri effigiem hic ideo appingere placuit.

Equini pulli facie plane humana effigies. A



B

Quo fere tempore Iulius secundus Pontifex maxim. vniuersam Italiam, maximamque adeo orbis Christiani partem in Ludouicum XII. Gallorum Regem concitauit, ex quo ad Rauennam Paschatis die, anno Domini 1512. consecutum est prælium illud longe grauissimum quo Pontificius exercitus concidit, Rauennæ monstrum natum est, cornu in summo capite gerens, duabus alis instructum, vnico pede rapacium auium pedibus simillimo. & in genu oculato nixum, duplici genitali maris & fœminæ præditum: cætera homo, vt subiecta imagine intueri licet.

Monstri Rauennatis effigies. C



3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

Tertia causa est seminis copia maior, & materia exundãs. Quarta eadem parcior & deficiens. Quinta imaginationis vis & efficacia. Sexta vteri angustia. Septima indecens grauidæ sisus, & partium corporis positio. Octaua casus, lapsus, ictus, prætertim vero ad grauidæ aluum inflicti. Nona hæreditarij morbi, seu ex alio quouis euentu affectus. Decima seminum confusio & commixtio. Vndecima dæmonum ars & vaframentum.

Sunt præterea quædam, quæ, quia ortum vel essentiam admirationis plenam habent, vel mendicantium arte subdola prodigij quandam speciem assumunt, pro monstrosis censentur, ideo de illis etiam in hac de Monstris commentatione breuiter & ordine dicemus. D

De monstris ex seminis vberiore copia causam habentibus.

CAP. II.

EXpositis duabus prioribus monstrorum causis, & iis quidem finalibus, ad eas nunc veniendum, quæ materiales, corporeæ & efficientes sunt, initio ab ea ducto, quam materiæ seminalis vberiorem copiam dicimus. Philosophorum, qui de Monstris scripserunt, sententia est, quod si quando animal sua maxime natura vniparum, cuiusmodi homo est, plus materiæ seminalis in coitu excreuerit, quam necesse sit, ad vnius animalis generationem, fieri non posse, vt ex eo toto vnum animal gignatur: itaque inde vel geminos, vel plures fœtus nasci. Quo fit, vt hæc portenta potius iudicentur, quoniam præter solitum, & quod magna ex parte agatur, proueniunt. Partium vero superfluarum eandem esse causam, quæ geminorum & multiparæ præter solitum generationis: ex copiosioris enim seminis effusione, quam pro partis natura requiritur, fieri: vt ipsa vel magnitudine, vel numero auctior existat. Sic narrat Augustinus, suo tempore natum in Oriente infantem, qui à ventre sursum duplicia omnia membra habebat, deorsum vero simplicia. Duo namque habuisse capita, quatuor oculos, pectus duplex,

E

Cap. 38. de præst. monum. Lib. 4. de gen. anim. c. 4.

A plex, manus quatuor: cætera reliquorum infantium similem extitisse, & aliquandiu vixisse. Narrant, Cœlio Rhodigino visa fuisse duo in Italia monstra, marem vnum, fœminam alterum, corporibus per omnia pulchre & concinne compositis, nisi quod capite essent duplici: ac marem quidem paucis ab ortu diebus interiisse: fœminam vero, cuius hic appictam effigiem cernis, quinque & viginti annos vixisse: quod à monstrorum communi conditione abhorret: fere enim fit, vt breuis admodum vitæ sint, quod vt inuita natura nascuntur, sic & viuant. Adde, quod sibi admodum displiceant, quod reliquis mortalibus ludibrio sint, itaque vitam sibi acerbam putant.

Monstra nõ esse longæua.

Virginis bicipitis effigies.



B

Est vero notatu dignissimum, quod de hoc monstro fœmina narrat Lycosthenes: dempta enim capitis geminatione, à natura velut ad amussim membrorum omnium venustate & perfectione contextum erat. Duo illa capita idem habebant edendi & bibendi, idem dormiendi, idem loquendi, idem rerum omnium desiderium, ostiatim victum quæritabant: benigneque omnes porrigebant. Tandem tamen Bauaria illud exigere visum est: quod frequenti sui conspectione, mota fortiter grauidarum imaginatione, similem fœtibus in vtero deformitatis impressionem affingere posset.

C

Virginum dorso cohærentium effigies.



D

Anno Domini 1475. Verone in Italia natæ produntur duæ virgunculæ sibi dorso ab imis humeris ad nates vsque arctissime cohærentes. Monstri nouitas pauperes parentes impulit, vt id per omnia Italiæ oppida ad corrogandam ex accurrẽte ad spectaculum vndique multitudine pecuniam circumferrent.

E

Equini pulli facie plane humana effigies. A



B

Quo fere tempore Iulius secundus Pontifex maxim. vniuersam Italiam, maximamque adeo orbis Christiani partem in Ludouicum XII. Gallorum Regem concitauit, ex quo ad Rauennam Paschatis die, anno Domini 1512. consecutum est prælium illud longe grauissimum quo Pontificius exercitus concidit, Rauennæ monstrum natum est, cornu in summo capite gerens, duabus alis instructum, vnico pede rapacium auium pedibus simillimo & in genu oculato nixum, duplici genitali maris & fœminæ præditum: cætera homo, vt subiecta imagine intueri licet.

C

Monstri Rauennatis effigies.



3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

Tertia causa est seminis copia maior, & materia exundãs. Quarta eadem parcior & deficiens. Quinta imaginationis vis & efficacia. Sexta vteri angustia. Septima indecens grauidæ sisus, & partium corporis positio. Octaua casus, lapsus, ictus, prætertim vero ad grauidæ aluum inflicti. Nona hæreditarij morbi, seu ex alio quouis euentu affectus. Decima seminum confusio & commixtio. Vndecima dæmonum ars & vaframentum.

Sunt præterea quædam, quæ, quia ortum vel essentiam admirationis plenam habent, vel mendicantium arte subdola prodigij quandam speciem assumunt, pro monstrosis censentur, ideo de illis etiam in hac de Monstris commentatione breuiter & ordine dicemus. D

De monstris ex seminis vberiore copia causam habentibus.

CAP. II.

EXpositis duabus prioribus monstrorum causis, & iis quidem finalibus, ad eas nunc veniendum, quæ materiales, corporeæ & efficientes sunt, initio ab ea ducto, quam materiæ seminalis vberiorem copiam dicimus. Philosophorum, qui de Monstris scripserunt, sententia est, quod si quando animal sua maxime natura vniparum, cuiusmodi homo est, plus materiæ seminalis in coitu excreuerit, quam necesse sit, ad vnius animalis generationem, fieri non posse, vt ex eo toto vnum animal gignatur: itaque inde vel geminos, vel plures fœtus nasci. Quo fit, vt hæc portenta potius iudicentur, quoniam præter solitum, & quod magna ex parte agatur, proueniunt. Partium vero superfluarum eandem esse causam, quæ geminorum & multiparæ præter solitum generationis: ex copiosioris enim seminis effusione, quam pro partis natura requiritur, fieri: vt ipsa vel magnitudine, vel numero auctior existat. Sic narrat Augustinus, suo tempore natum in Oriente infantem, qui à ventre sursum duplicia omnia membra habebat, deorsum vero simplicia. Duo namque habuisse capita, quatuor oculos, pectus duplex,

E

Cap. 38. de præst. monum.

Lib. 4. de gen. anim. ca. 4.

A plex, manus quatuor: cætera reliquorum infantium similem extitisse, & aliquandiu vixisse. Narrant, Cœlio Rhodigino visa fuisse duo in Italia monstra, marem vnum, fœminam alterum, corporibus per omnia pulchre & concinne compositis, nisi quod capite essent duplici: ac marem quidem paucis ab ortu diebus interiisse: fœminam vero, cuius hic appictam effigiem cernis, quinque & viginti annos vixisse: quod à monstrorum communi conditione abhorret: fere enim fit, vt breuis admodum vitæ sint, quod vt inuita natura nascuntur, sic & viuant. Adde, quod sibi admodum displiceant, quod reliquis mortalibus ludibrio sint, itaque vitam sibi acerbam putant.

Monstra nõ esse longaua.

Virginis bicipitis effigies.



B

Est vero notatu dignissimum, quod de hoc monstro fœmina narrat Lycosthenes: dempta enim capitis geminatione, à natura velut ad amussim membrorum omnium venustate & perfectione contextum erat. Duo illa capita idem habebant edendi & bibendi, idem dormiendi, idem loquendi, idem rerum omnium desiderium, ostiatim victum quæritabant: benigneque omnes porrigebant. Tandem tamen Bauaria illud exigere visum est: quod frequenti sui conspectione, mota fortiter grauidarum imaginatione, similem fœtibus in vtero deformitatis impressionem affingere posset.

C

Virginum dorso cohærentium effigies.



D

Anno Domini 1475. Verone in Italia natæ produntur duæ virgunculæ sibi dorso ab imis humeris ad nates vsque arctissime cohærentes. Monstri nouitas pauperes parentes impulit, vt id per omnia Italiæ oppida ad corrogandam ex accurrẽte ad spectaculum vndique multitudine pecuniam circumferrent.

E

Viri, ex cuius aluo alter velut consitus homo pendebat, effigies.

A

Anno Domini 1530. visus est vir Lutetiæ, ex cuius aluo alter velut consitus homo pendebat, membris omnibus, capite excepto absolutus. Vir ille quadragenarius erat, insertumque illum & velut prodeuntem ex sese hominem tanta omnium admiratione vlnis suis gestabat, vt certatim ad spectaculum accurrerent.



B

C

Cornuti & capitiati monstri effigies.

Apud Subalpinos in Quiero decem à Taurino miliaribus posito oppidulo anno Domini 1578. die 17. Ianuarij ad octauam horam vespertinam honesta matrona fœtum peperit, cornua quinque sibi aduersa & arietinis similia capite gerentem: cui præterea à summa fronte ad occiput in dorsum fere totum, prælongum carneum frustum pendebat, capitij muliebris instar habens. Circum collum vero alia caro duplex aduoluebatur, tãquam colare subuculæ. Extrema vtriusque manus digitorum vncos rapaciũ auium referebant, genua tanquam in poplitibus erant. Crus dextrum, pesque item dexter rubro colore præfulgebant. Reliquum corpus bætico erat colore, magno cum clamore in lucem prodiisse dicitur, quo sic consternatæ obstetrices, & reliquæ mulieres clinicæ fuerunt, vt è vestigio in fugam se ab ædibus puerperæ dederunt. De eo monstro cum Subalpinorum princeps resciuisset, iussit id ad se adduci, nec dici potest, quam varia fuerint tum aulicorum de ipso iudicia.



D

Monstri ouo excluſi effigies.

A



B

Quod hic appictum cernitur monstrum, medio intimoque in ouo compertum est, facie quidem humana, sed capillitio colubris vndiq; horrente: mentum ipsi tribus aliis colubris vibratis velut barba germinabar. Conspectum primum est Augustodini in ædibus Bancheronis causidici, dum ancilla oua multa frangeret butyro incoquenda. Oui illius albumen feli exhibitum, repentinam mortem intulit. Id demũ monstrum in manus Baronis Senecij cum veniſſet, ad Carolum nonum Regem Metis agentem perlatum est.

Monstrosi infantis geminum caput, bina brachia, & quaterna crura habentis effigies.

C



D

Anno domini 1546. mulier Lutetiæ sexto grauiditatis mense, fœtum peperit geminum caput, bina brachia, & quaterna crura habentem. Eius mortui cadauer cum dissecuissem vnicum cor reperi: ex quo scire licet, vnicum eum infantem extitisse. Nam illud ex Aristotele sciẽdum est, vnumne an plura sint per coagmentationem, quod monstrificum prodit animal, iudicandum esse ex principij ratione. Nam si corpus eiusmodi est, quod vnum cor habeat, vnum animal est: quod duo, animal item duplex coalitum propter conceptuum coniunctionem.

In problem. Vnde scire licet, quæ corporibus multiplicia videtur, vnum animal sint, an plura.

E

Gemellorum vnico capite coniunctorum effigies.

A



Anno domini 1569. Turonensis quædam mulier gemellos peperit, vnico capite coniunctos, & se mutuo complectentes. Horum ad me sceleton misit Renatus Ciretus tota Turonensi regione famatissimus.

B

Gemellarum virginum aduersis frontibus cohærentium effigies.



C

Scribit Munsterus, visas sibi anno Domini 1495. duas virgines in Bristanto pago, non longe à Vvormacia, corporibus integras. & numeris omnibus absolutas, sed aduersis frontibus sic conglutinatas, vt nulla arte separari & distrahi vnquam potuerint, ad decimum vsque ab ortu annum conuixerunt. Tum necesse fuit viuam & superstitem à mortuæ cadauere diuellere: sed illa sorori suæ non diu superuixit, propter inflictæ plagæ diuulsificæ malignitatem.

Anno Domini 1570. 20. Iulij, Lutetiæ in vico Grauillierorum, ad insigne tintinabuli, nati sunt hi duo infantes sexu distincti, qua cernitis partium corporis configuratione. Baptismo donati sunt in templo S. Nicolai de Campis, & Ludouici & Ludouicæ nomine insigniti. Pater latomis operam præbebat, ei Petrus Germanus nomen erat. Agnomen Paruus Deus: matri vero Mathea Petronilla.

E

Infantum

A

Infantum gemellorum Lutetiæ nuper natorum effigies.



Virgunculorum anteriori bus cohærentium effigies.



Anno Domini 1572. in Ponte Sæo ad Andes oppidulo, prodierunt in lucem, decimo die Iulij gemellæ fœminę, cætera membris omnibus perfectæ, nisi quod alterutrius manus sinistra quatuor tantum digitis distincta erat. Cohærebãt autem anterioribus partibus, nempe à mento ad vmbilicum vsque, qui ipsis vnicus vt & cor vnũ erat: hepar vero in lobos quatuor diuisum. Vixere semihoram, & regenerationis lauacro insignitæ fuere.

Bicipitis & quadrimestri magnitudine cum primum natus est, infantis effigies.

D



E

Refert Cœlius Rhodiginus, in patrij soli vico, cui Sarzano nomen est, flagrante intestinis discordiis Italia, editum inusitatæ magnitudinis monstrum. Infantem enim extitisse bicipitem, quadrimestri magnitudine, membris omnibus cũ proceritate responsum habentibus & amussitatis, vtrumque inter caput, quod similitudinis erat indiscretæ, ex collimitio humerorum tertia surrigebatur manus, sed quæ antes longitudine non excederet, nec integra viseretur omnino. Apparuit 5. Idus Martias anno 1514.

Infantis quaternis cruribus & brachiis effigies.



Refert Iouianus Pontanus, anno Domini 1529. die 9. Ianuarij, visum in Germania infantem masculum, quaternis brachiis & totidem cruribus, vt in subiecta imagine intueri licet.

Viri, cui ex medio ventre alterum caput applicitum prominebat, effigies.



Quo anno Franciscus primus Gallorum Rex fœdus cum Heluetiis iniuit, natum est in Germania monstrum, cuius è medio ventre caput insigne extabat, ad virilem ætatem peruenit, nec secus, quam verum & summum monstri illius caput, hoc monstrificum & tanquam applicitum nutriebatur.

Gemellorum monstrosorum vnico sexu insignitorum, effigies.



Anno

Anno Domini 1572. vltima Februarij in Viabani Parœcia, via, qua Carnutum Lutetia itur, in pagulo, cui Paruarum Bordarum nomen est, Cypriana Giranda Iacobi Mercatoris agricolæ vxor, peperit hoc quod in antecedenti imagine vides monstrum, quod in subsequentem vsque dominicum diem vixit, vnico sexu fœmineo insignitum.

Nefrendis monstrosi effigies.



Anno Domini 1572. postera à Palchate die, Metis in Lotharingia, in hospitio, cui sancti Spiritus imago pro insigni est, sus nefrendem peperit octonis cruribus, quaternis auribus, & capite canino præditum. Posteriora corporum à ventre deorsum tanquam gemellorum distincta erant, anteriora sursum vnita, duas in ore linguas habebat cum dentibus quaternis in superioris maxillæ totidemque in inferioribus lateribus. Haud satis expressa erat sexus distinctio, ita vt masne, an fœmina id monstrum esset, dignoscere nemo posset. Vnica enim sub cauda rima: singula quæque corporum posteriora fissa & aperta erant, eius, vt hic appicta est, monstri effigiem misit ad me Borgesius Medicus Metensis clarissimus.

De mulieribus multiparis. CAP. III.

Causæ multiplicis partus.

MVlier vniparum vt plurimum natura animal est. Sunt tamen quædam, quæ gemellos: quædam etiam, quæ ternos, quaternos, quinos, senos & his etiam plures fœtus vno partu in lucem edunt. Multiplicis partus causam seminalis materiæ copiam esse putat Empedocles. Stoici eam in varias vteri velut cellulas conferunt: in has enim varie distracto semine, fissoque conceptu plures gigni fœtus, haud secus, quam in fluuiis aqua cautibus allisa vertigines geminantur. At id opinari nihil rationis est, inquit Aristoteles in mulierum enim genere ista brutorum, vt canum & suum vteri in cellas discriminatio locum non habet. Harum namque vterus vnica cauitate præditus est, duos sinus ex se promente, dextrum & sinistrum, nullo intercurrente corpore, nisi forte quadam linea discretos. Sæpe vero eodem in vteri sinu gemini consistunt. Aristotelis sententia est, haud plures quinque fœtibus mulierem parere posse. Quinos fœtus vno partu edidit Augusti Cæsaris ancilla, breui mox cum prole mortua. Anno Domini 1554. Bernæ apud Heluetios, vxor Ioannis Gelingeri Doctoris, quinos pariter fœtus vno partu edidit, tres mares & duas fœminas. Asserit Albucasis, extitisse mulierem septenis vno partu fœtibus matrem: aliam vero, quamuis extrinsecus illata abortire cogebat, quindecim, membris omnibus integre descriptos fœtus edidisse. Extare scribit Plinius in monumentis Medicorum, vno partu duodecim puerperia eiecta: compertum quoque aliam in Peloponeso, quæ quinos quater enixa sit, maioremque partem ex eius vixisse partu. Proditum à D. Dalechampio est, Bonauenturam Sauelli nobilis Senensis manciplum vno partu septenos edidisse fœtus, quorum quatuor baptismo donati fuerint. Nostra ætate inter Sartã & Mænum in parœcia Sigillorum ad Cambellayum familia est & domus nobilis, dicta Maldemera, Domini Maldemeræ vxor, primo, quo nupsit, anno, gemellos peperit. Secundo ternos: Tertio quaternos: Quarto quinos: Quinto senos fœtus, ex eoque partu mortua est. Ex senis his vnus adhuc superstes viuit Maldemeræ dominus. Beaufortii in valle in Andium agro, iuuencula mulier, filia Macei Cannerij vnum fœtum iusto partu cum edidisset, decimo post die alterum enixa est, qui nisi vi aluulsus ab vtero edi non potuit, matrique lethifer extitit. Martinus Cromerus scribit in Cracouiensi agro Margaretam nobili & antiqua familia ortam mulierem, Virboslai Comitis vxorem, vno peperisse partu sex & triginta viuos fœtus, 20. die Ianuarij anno Domini, 1296. Scribit Franciscus Picus Mirandula, Dorotheam Italam gemino partu viginti liberos peperisse. Primo quidem nouem, altero autem vndecim: adeo vero grauidam extitisse, vt aluum, quæ in genua procumbebat, lata & magna fascia ex ceruicibus nodata fuerit cogeretur, vt subiecta imagine licet intueri.

4. de general. animal. cap. 4. Vterum mulieb rem nullis cellis distingui.

Lib. 7. ca. 11. Cap. 3. Cap. 74. Chirurgia. Lib 9. histor. Polonica.

Dorothea

Dorotheæ multiplici sobole grauidæ effigies. A



Iterum & hic coarguendi sunt, qui multiplicis sobolis vno partu editæ causam in vteri muliebris cellarum varietatem conferunt. Septem enim vteri muliebris cellas esse mentiuntur. Tres nempe in dextro latere maribus gerendis, tres in sinistro fœminis, & vnam plane in medio hermaphroditis processit & eousque id mendacium, vt fuerint, qui adstruerent, eiusmodi septem cellarũ singulas in decem cellulas discriminatas esse, in quas distractum semen procellarum seminali materia imbutarum varietate, in variam & numerosam degeneret sobolem. Quæ opinio etsi Hippocratis fuisse videatur *libro de natura pueri*, rationi tamen & his, quæ oculis ac sensibus manifeste apparent, repugnat. Probabilior est Aristotelis sententia, qui gemellas pluresue fœtus eadem ex causa gigni edique ait, ex qua & sextus in manu succrescit digitus, scilicet propter seminalis materiæ redundantem copiam, quæ maior & vberior est, quam vt tota in vnum fœtum naturaliter constitutum assumi possit. Nam si tota in vnum cogatur vnum quidem fœtum edet, sed partibus in magnitudine, vel multitudine auctionibus: si vero veluti findatur in plures distracta partes, plures fœtus edet. B

Lib. 4. de gener. anim. cap. 4.

C

De Hermaphroditis seu Androginis. CAP. IV.

Ratio nominis.

AGendum & hic quoque de Hermaphroditis seu Androginis, quoniam à seminalis materiæ vbertate, monstrosi hi fœtus etiam causam suæ generationis & conformationis obtinent. Ita vocantur, *qui vtroque gignuntur sexu*: matre scilicet tantum seminalis materiæ, quantum vir effundente. Hinc enim fit, vt dum formatrix facultas, quæ simile semper sibi aliquid fingere conatur, in vtramque materiam paribus ferme viribus incumbit, faciat, vt in eodem corpore vterque visatur sexus. Quanquam sunt, qui hermaphroditorum quatuor constituunt differentias. Prima est hermaphroditus mas: qui scilicet virilem sexum perfectum & potentem habet, in perinæo autem excisam tantum in vuluæ formam rimam, minime tamen peruiam, vt à qua nihil neque vrinarij, neque seminalis humoris prodeat. Secunda est hermaphroditus fœmina: quæ scilicet præter vuluam naturaliter constitutam, seminali nempe & menstruo fluxu manantem, supra ad os pectinis membri virilis carneam & cutaceam quandam similitudinem habet arrectionis & profusionis seminis impotentem, scroto & testibus carentem. Tertia est eorum Hermaphroditorum, qui etsi vtriusque sexus expressam habeant imaginem, sæpius aduerso sibi situ respondentem, inefficacem tamen ad generationem & seminis profusionem experiuntur, alterutra ad mictionem tantum conferente. Quarta eorum, qui vtroque sexu valent, marisque & fœminæ munera potenter obeunt, quod vtriusque genitalia omnibus numeris ad generationem necessariis completa & perfecta, imo mammam dextram mari, sinistram fœminæ similem habeant. Hos leges sexum, quo vti & in quo manere ac viuere velint, eligere iubent, capitali pœna addita, si ab electo semel sexu discessisse deprehendantur, quidam enim vtroque abusi creduntur, & promiscue cum viris & fœminis voluptuati. Signa sunt, quibus virilisne, an fœminei sexus potentes sint androgini, an vero vtriusque impotentes, dignoscere Medici valent.

Ratio generationis androginorũ.

Hermaphroditorum differentiæ.

Mirum hermaphroditos esse, qui vtroque sexu valeant.

Quibus signis scire liceat, hermaphroditum huius aut illius sexus esse potentem aut vtriusque impotentem.

Apparent hæc in genitalibus præsertim, & facie. Nam si vulua sic ad amussim omnibus suis dimensionibus exacta, & peruia sit, vt virile membrum admittere possit, si menses illac profluant, si prosiliunt & tenues ac molles capilli, si denique ad illam totius corporis effœminati mollitiem, animi quoque fracti & timidi parem conditionem additam habeant, fœminei sexus potentiores, & plane fœminæ iudicantur. D

At si pilis obsitum perinæum & anum habent, quæ fere loca muliebribus glabra sunt, si penem conuenienti magnitudine compositum habent, si valide & alacriter arrigentem, si semine manantem, virilis sexus potentiores & plane viri pronunciantur.

Si par sit vtriusque genitalis in figura, mole, & efficacia conformatio, vtriusque sexus potens, hermaphroditus censetur. E

Quan-

Hermaphroditi quaternis pedibus & manibus instructi effigies. A



Quo die Veneti & Genuenses fœdus inierunt, natum est in Italia monstrum quaternis brachiis & pedibus, vnico vero capite præditum. Id sacra baptismatis aqua lustratum aliquandiu post vixit: Iacobus Ruesius Chirurgus Heluetius sibi simile visum narrat, sed quod maris & fœminæ insuper genitalia haberet, hic ideo appictum.

B

De sexus mutatione. CAP. V.

NArrat Amatus Lusitanus in Esgucina pago, extitisse virginem Maria Pateca dictam, cui sub pubertatis tempus mensium loco prodiit membrum virile, intro ante latens & abditum, sicque ex fœmina marem euasisse, adeoque vestitu virili, misso virgineo, indutum, & mutato nomine Emanuel dictum Hic cum ex multis in India & magnis negotiis ac commerciis multas & ingentes opes comparasset, in patriam regressus nupsit. Sed liberosne aliquando genuerit, nihil certi se habere, Lusitanus ait, illud sibi constare imberbem perpetuo mansisse. C

Historia.

Antonius Loqueneus Indictionum ad S. Quintini apud Veromanduos fanum Regius quæstor, nuper affirmauit mihi, vidisse se virum Rhemis in hospitio, cui Cygnus pro insigni est, anno Domini 1560. qui pro fœmina ad annum vsque ætatis decimumquartum habitus fuerat. Tum enim contigisse, vt cum ludibundus cum ancilla, cui eodem in lecto accubabat, lasciuiret, virilia ipsi huc vsque implicita se explicarent & erumperent. Quod cum parentes resciuissent, interueniente ecclesiastica potestate, ipsum nomine mutato Ioannem pro Ioanna nominarunt, & virili habitu induerunt.

Superioribus annis cum essem in Caroli noni Regis comitatu, in Vitriaco Francico ostensus est mihi vir Germanus Garnierus, quibusdam Germanus Maria dictus, quod olim fœmina, Maria vocaretur, statura mediocri, quadrato corporis habitu, barba densa & ruffa. Is ad quintum vsque & decimum ætatis annum pro virgine habitus fuerat, quod virilitatis in eius corpore nulla vestigia apparerent, & quod fœmineo vestitu indutus inter fœminas muliebria obeundo assidue versaretur. Decimo quinto igitur ætatis anno, dum in agris porcos suæ curæ demandatos, & in messem irruentes acrius persequeretur, fossam obuiam magno impetu transiliuit: quo factum est, vt ruptis velut inuolucris & vinculis, abdita virilia derepente & haud sine dolore emergerent. In casam regressus apud matrem eiulans conquestus est, sibi ab aluo intestina prosilire. Quo spectaculo attonita mater Medicis, Chirurgisque in cõsilium adhibitis, audit eum in virum euasisse. Itaque re tota ad Cardinalem Lenuncurium Episcopum delata, conuocata concione viri nomen habitumque recepit. D

Lib. 7. ca. 4.

Narrat Plinius Cassini puerum factum ex virgine sub parentibus, iussuque Aruspicum deportatum in insulam desertam, quod eiusmodi monstra semper monstri aliquid alere & portendere putarent. Certe fœminis tot & similes partes latent in intima aluo, quot & quales viris foris prominulæ visuntur. Calor tantum vegetus & alacris deesse videtur, qui quod abditum intus est, propellat foras. Ergo ætatis progressu calore aucto, & deiecta pueritiæ humiditate regnante, ac clara iam incendia dante, non est impossibile, virilia, quæ huc vsque ignaua, per caloris inertiam latuerant, protrudi: si præsertim ad illum caloris velut emicantis vigorem, corporis totius vehemens aliqua concussio & iactatio accesserit. Ex his igitur, & experimentia & ratione constare arbitror, homines ex fœminis mutari in mares, non esse fabulosum. At ex maribus, qui in fœminas degenerauerint, nusquam in historia reperias. Natura enim tendit semper progressusque facit ab imperfectis ad perfecta, nunquam contra turpi relapsu à perfectis ad imperfecta refertur. E

Fœminarũ in mares mutatio rationi adstruitur.

Cur mares nunquam in fœminas mutentur.

De monstris ex seminalis materiæ defectu causam habentibus.

CAP. VI.

SIquid contra seminali materiæ ad institutam fœtus aut fœtuum conformationem in quantitate deest, vnum aliquod, pluraue membra deficient, vel certe breuiora, omninoque detrita erunt. Hinc est, quod natura gemellos parante, nascitur haud raro fœtus biceps, sed vno brachio præditus, vel certe omnino omnibus artubus mancus.

Monstrosi

A *Hermaphroditi vtroque sexu donati effigies.*



B

Quanquam Aristotelis sententia, hi quibus gemina habere genitalia accidit, alterum maris, alterum fœminæ, iis semper alterum ratum, alterum irritum redditur, cum per alimentum subinde delitescat, quoniam præter naturam est: agnatum est enim modo abscessus. Nam abscessus assumunt aliquid nutrimenti, quamuis post geniti sint & præter naturam.

Gemellorum dorsibus cohærentium & hermaphroditorum effigies.

C



D

Anno Domini 1486. ad *Heidelbergam* in agri Palatini pago, Roibachio gemelli duo nati sunt dorsibus cohærentes, & hermaphroditi ambo.

Herma-

A *Monstrosi infantis ex materiæ seminalis inopia effigies.*



B

Anno Domini 1573. vidi Lutetiæ ad diui Andreę ædem, puerum nouem annos natum Parpauilla pago sex à Guisio oppido milliaribus, Petro Renardo & matre Marqueta genitum. Huic tantum duo digiti in dextra manu erãt, brachium haud inuenuste à summo humero ad cubitum vsque deformatum erat: at inde ad extremos duos digitos valde deforme visebatur: cruribus carebat, quanquam à nate dextra, pedis imperfecta quædam velut figura quatuor tanquam digitis distincta proferre se videbatur, à sinistræ vero natis medio, duo digiti prosiliebant, quorum vnus genitali virili haud erat absimilis, vt in ista imagine licet intueri.

C Anno Domini 1562. calendis Nouembris, Villæ-francæ in Vasconia, natum est quod appictum hic vides, monstrum, fœmina Acephalon, cuius imaginem à Fontano Agenensi Medico, qui se id vidisse sancte affirmabat, acceptam, mihi hanc de monstris commentationem paranti obtulit Ioannes Altinus doctor Medicus.

Monstrosæ & sine capite fœminæ anterior posteriorque effigies.

D



E

Monstri bicipitis & duo crura at vnum brachium habentis effigies.

N. B. Figura tertia bicipitis infantis, quæ ex erroretypographi fol. 547. fuit posita, huc pertinet & quemadmodum hæc præfens eo.



Viri sine brachiis omnia, quæ manibus fieri solent obeuntis, effigies. A



B

C

Paucis abhinc annis visus est Lutetiæ vir quadragenarius quadrato corpore, qui etsi brachiis careret, omnia tamen, quæ manibus perfici solent munia, haud infœliciter obibat. Humeri.n. trunco, & capite, colloq; vibrato, securim in palũ oppositũ tam certo & valido ictu, quã manu quiuis alius vir, eiaculabatur, aurigæ flagellũ tanta vi distringebat, vt aere validius percusso resonaret. Cæterum pedibus edebat, bibebat, chartis lusoriis & talis colludebat. Tandem latro & sicarius deprehensus, ex cruce strangulatus rotæ affixus est.

Sect. 2. lib. 2. epid. Visa etiam non ita pridem mulier Lutetiæ est sine brachiis, quæ nihilominus secabat, suebat, & pleraque alia, quasi manus adessent, perficiebat. Legimus apud Hippocratem, quod Antigenis vxor pepererit puerum carnosum quidem, verum qui haberet maximas partes discretas, magnitudine vero esset quatuor digitorum, & sine ossibus, deinde crassus & rotundus.

De monstris, quibus ab imaginatione causa & conformatio est. CAP. VII.

Imaginationis vis in corpora & humores. VEteres omnia naturæ arcana solertissime perscrutati, alias etiam causas ortus monstrorum animaduerterunt. Nam cum imaginationis vires tantas in nobis esse intelligerent, vt etiam plerunque corpus cogitantis immutarent, faci-

Virginis quæ pilosa & infantis qui niger imaginationis parentum vi euasit effigies.



Cap. 30.

le quoque sibi persuaserunt firma & obstinata vel parentũ gignentium, nocturnis sæpe & fallacibus spectris delusorũ, vel grauidarum cogitatione, vim eam, quæ fœtum conformat, duci & gubernari, adeoque pertinaciter conceptã animo, rem in conceptum vtero fœtum vim suam conferre. Quod ipsum Mosis authoritate pleriq; confirmari putant, quòd narret, *Iacobum concessam à socero Laban ouium partem, meliorem & numerosiorem reddidisse, demersis in alueos, ad quos aquatum ibant, virgis, viridantis corticis parte exempta lineatis, & ex albo ac viridi pulchre variegatis, quo maxime tempore veneris desiderio turgerent: vt hausta sub ipsum conceptum imago, proli mox inureretur.* Est enim hæc imaginationis in fœtum efficacia, vt rerum conceptarum notas, & tanquam characteres ipsi apprimat. D

Proditum ab Heliodoro legimus, Persinam Æthiopiæ Reginam ex Hidaste marito pariter Æthiope, filiam suscepisse albo colore insignem, quod cum inviri amplexibus, ex quibus grauida euasit, esset, fixis oculis intentoque animo, in oppositam pulchræ Andromedæ imaginem se conuertisset. Testatur Damascenus, visam sibi puellam vrsi instar villosam, quæ non aliunde eam deformitatem contraxisset quam ex eo, quod mater in ipso excepti & concepti seminis articulo, in D. Ioannis Camelina, vt solet, pelle tecti imaginem, ex lecti oppositis fulcris pendentem, acrius intuita esset. Narrant Hippocratem hac causarũ explicatione, principem quandam mulierem, quæ alba ex marito pariter albo prolem Æthiopis instar nigram ob id susceperat, quod concumbens, oculis obuersantem Æthiopis imaginem fortiter & assidue animo comprehendisset, adulterii suspicione explicuisse. E

Monstri

A *Monstri pedibus manibusque bubulis & aliis membris valde horrendi, effigies.*



B

Imaginationis in conclusum vtero fœtũ post typosim nullam vim esse.

Sunt, qui putent infante in vtero formato, quod ad summum intra duos & quadraginta à conceptu dies fit, nihil iam periculi ipsi à materna imaginatione, vt nec à paterno effuso in vterum semine imminere: quod cum typosim perfectam adeptus sit nullis iam rerum extrinsecus appellentium formis conturbari possit, quod verum sit, necne, non est huius loci disquirere. Certe latius esse arbitror ab rerum eiusmodi omnium spectris & imaginibus grauidam toto gestationis tempore, quantum fieri potest, abstinere.

In Stecquer Saxoniæ pago, proditum monstrum memorant, quaternis pedibus bubulis, oculis, ore & naribus vitulinis, carneo rubro & rotundo in vertice tuberculo, carnea præterea ex collo in dorsum velut cuculla pendente, lacerisque & discissis femoribus deforme.

Infantis ranula facie effigies.

C



D

Anno Domini 1517. in Bosci Regis Paroecia, in Biera sylua, via ad fontem Bellæ-aquæ, natum est monstrum facie ranali, visum Ioanni Bellangerio Machinariæ Regiæ Chirurgo, coram Harmoij oppidi iustitiæ custodibus, inprimis Ioanne Bribono eius loci Procuratore Regio. Pater vocabatur Amadæus Paruus: Mater Magdalena Sarbucata. Hæc febre diuexata mulierculæ cuiusdam consilio ranam viuam manus palmæ affixerat, tamdiu detinendam, quo ad immoreretur parti, eo habitu in viri amplexus venerat de nocte, & conceperat, eam Bellangerius, perspicaci ingenio vir, monstrosæ deformitatis fœtus causam esse arbitrabatur.

E

Effigies infantis cum ore & fronte leoninis.



Subsequẽs monstrum in Italia à muliere Hebræa natum, erat ore leonino, intusque eo dentibus duobus candidioribus & alio quodam osse pectori gallinaceo non absimili deformatum. Posterius ad regionem, vbi alias cauda propendere solet, paulo tamen superius, habebat characterẽ instar verucæ, cæteris omnibus erat homini ad naturæ leges nato conforme, viuumque septimanas quinque manebat.

De monstris, quibus ab vteri angustia causa est.

CAP. VIII.

Quod vteri angustia mõstrosi partus causa esse possit.

MOnstris quoque ab vteri & locorum angustia originem & causam esse, rerum euentis cogimur fateri: sic enim pendentia ex arboribus poma, si antequam ad debitam magnitudinem peruenerint angustis vasculis excipiantur, iustis incrementis prohibentur. Sic qui mulieribus in deliciis sunt catuli, supra eam, quam à primis ortus diebus habuerint altitudinem, surgere vetantur, ædicularum, in quibus altiles habentur, contractionibus. Quis nescit, depactas in terra plantas, duræ silicis aut rei cuiusuis alterius solidioris occursu, longiori progressu, & fibrarum propagatione arceri. Itaque totas tortuosas, parte illa exiles & marcidas, alia parte, qua liberum venit alimentum, lætas, & ampliusvideri? Nam cum Physicorum sententia, locus sit forma locati necesse est, vtea, quæ strictioribus locis conclusa tenentur, motionum suarum libertate prohibita, diminuta sint, mancа & mutila.

Empedocles & Diphilus cum monstrorum ortus tres causas agnoscerent, seminis materiam auctiorem aut parciorem, seminum corruptionem, & vteri seu locorum in amplitudine angustia & figura deprauationem, hanc maxime & præsertim celebrarunt: quod in fœtuum ortu, rem perinde, vt in metallorum & rerum fusilium formatione se habere crederent: ex quibus ducta & conflata simulachra, res minus exprimerent, si formæ, in quas materiæ effunduntur, scabræ, asperæ, contractæ, aut alioqui vitiosæ extiterint.

De monstris, quibus causa est à vitiosa matris in accubitu, decubitu, aut alio quouis corporis situ per grauiditatis tempus, collocatione.

CAP. IX.

SÆpe naturæ beneficia corporeæque conformationis in venustate & dignitate dotes, praua collocãdi corporis consuetudine, supini nimium & negligentes corrumpimus. Id in omni quidem hominum, præsertim vero in mulierum grauidarum genere deflendu m & calamitosum est, quia vitium id non matris modo, sed & vtero conclusæ prolis corpus distorquet & peruertit. Motus enim quacunque ratione nobis, omnia etiam, quæ in nobis sunt moueri necesse est. Itaque quæ toto grauiditatis tempore domi otiosæ sedent, quæ decussatis cruribus, quæ incuruo & prono in genua corpore telam acu & lana pingunt, suunt, aut aliud quoduis onus obeunt, quæ arctius ventrem fasciis, subligaculis aut vestimentis comprimunt, fœtus edunt obstipos, repandos, incuruos, gibbosos, pedibus, manibus, omnibusque artubus distortos, vt in subiecta imagine licet intueri.

Infant-

Infantis, qui à prima in vtero conformatione situ materni vitio pedibus, manibusque distortis euasit, effigies.



De monstris ab ictu, lapsu, aut simili aliqua occasione, causam habentibus.

CAP. X.

DVbium esse non potest, quin si qua ex ictu, ab alto lapsu, similiue occasione ad grauidam perueniat iniuria, pernicies quoque in fœtum peruadat. Hinc ergo sæpe tenella illi ossa franguntur intorquentur, luxantur, aut alia quauis monstrosa fœditate deprauantur. Adde quod sæpe eiusmodi casuum violento incursu rupta, apertaue vena, aut concusso vehementius toto corpore, vel hæmorrhagia, vel vomitus ingens cietur, vnde fœtui subducitur alimentum, inde mox tenui & minutulo planeq; monstroso futuro.

De monstris, quibus à morbis hæreditariis origo est.

CAP. XI.

MOrborum quoque hæreditariorum iniuria monstrosi euadunt infantes, id est, ad monstrum vsq; deformes. Nam & gibbosis nascuntur gibbosi, & quidem sæpe gibbosi vsque adeo, vt anterior posteriorque gibba in tantam altitudinem assurgat, vt in his caput tanquam in sua testa testudo, reconditum lateat. Sic claudis claudi, simis simi, & nanis nani, macilentis excarnes & ossei, præpinguibus & ventrosis, ventrosi, mutilis denique mutili gignuntur.

De monstris ex seminum diuersa speciei confusione.

CAP. XII.

HOrrendum dictu, quod sequitur est, sed dabit veniam castus lectoris animus, cogitabitque, id quod non Stoicis modo, sed & Philosophis omnibus rerum causas sedulo perquirentibus persuasum esse debet, *nihil esse obscœnum, nihil turpe dictu. Quæ obscœna putantur, sine scelere dici possunt, at patrari sine summo scelere, furore & amentia nequeunt.* Itaq; si quod in obscœnitate flagitium, id haud in verbo est, at totum certe in facto. Fuisse tamen olim memorantur, qui nihil Dei numen, nihil leges, nihil seipsos, id est, animum suum veriti, sic se abiecerunt atque prostrauerunt, vt inter se & pecudem nihil putauerunt interesse. Itaque Athei, Sodomitæ, exleges, præstantiæ & diuinitatis suæ obliti, sed iam pecudes, sed turpi in belluas transmutatione deformati, detestando se cum belluis concubitu flagitiose miscere non dubitarunt. Tantum hoc scelus, tam horrendum facinus, cui expiando omnes, quotquot sunt, orbis totius ignes non suffecerint, etsi ipsi nimium malitiose callidi tacuerint, conscia belluæ effari non potuerint, suscepta tamen biformis proles abunde, Dei vindicis & scelerum vltoris opera, locuta & testata est. Ex varia enim illa & promiscua seminum diuersæ speciei confusione, monstra semihomines & semibelluæ nata sunt. Par editur prolis deformitas, si varij generis belluæ coeant, natura semper aliquid sibi, quod simile sit, gignere affectante, nam triticum non nisi de pacto in terram tritici grano nascitur, nec malum armeniacum nisi ex nuce armeniaca. Est enim conseruationis sui & specierum natura diligentissima.

Semihominis & semicanis fœtus effigies.

A



B

Anño Domini 1493. genitus est ex muliere & cane fœtus, qui ab vmbilico sursum versus humanam, id est, matris effigiem integre referret: inde vero deorsum patrem, id est, canem. Id monstrum ad summum, qui tum sedebat, Pontificem, missum scribit Volaterranus, meminit & Cardanus. Eius hic ideo appinxi imaginem. C

Lib. 14 de varia. c. 64.

Cœlius Rhodiginus scribit, apud Sybarim, pastorem, nomine Chrathin, capellam deperiuisse, & iniuisse, exque detestando & brutino illo concubitu natum infantem, qui cruribus matrem referret, facie vero patrem.

Nefrendis, capite, facie, pedibus, manibusque humanis, effigies.



D

Anno Domini *1110.* in Eburonum quodam pago, Sue nefrendem editum refert Licosthenes, qui capite, facie, pedibus, manibusque humanis, reliquo corpore suillum fœtum exprimeret.

Anno Dom. *1564.* Bruxellæ in ædibus Ioest Dictzpeert, vico Warmoesbroectz Sus sex peperit nefrendes, quorum primus monstrum erat, capite, facie, anterioribusque pedibus & omoplatis hominem referens, reliquo toto corpore nefrendem: nam & genitalia fœminæ Sus habebat, cæterorum more suilla vbera sugebat. Sed secundo sui ortus die à plebe monstri diritate incitata cum matre confossus est. Eius hic habes imaginem. E

A

Nefrendis semihominis & semisuis effigies.



B

Anno Domini *1571.* Antuerpiæ vxor Michaelis cuiusdam, qui chalcographo operam locabat, commorantis apud Ioannem Mollinum sculptorem ad insigne pedis aurei, vico Cameristrato, die D. Thomæ sacra, hora decima matutina monstrum peperit canis prorsum effigie, nisi quod ceruice esset breuiore, capite vero auis, sed implumi. Vitæ exors fuit id monstrum quod mater ante tempus peperisset. In ipso partus articulo ipsa magnum clamorem dante, ædium caminus procidit, nemine læso, ne quatuor quidem infantulorum vllo, qui ad focum sedebant.

C

Monstri, capite auis, corpore vero canis effigies.



D

Ludouicus Celleus scribit, legisse se in probato quodam authore, oue aliquando natum leonem, disparis plane & inimicæ conditionis ac naturæ animal.

Anno Domini *1573.* in Zezanæ vrbis suburbio, loco qui dicitur Campus Benedictus, in ædibus Ioannis Poleti, salis mensoris, natus est agnus, hac qua cernis, effigie: editus in lucem mox interiit, nec vitæ, nisi exiguo motu, signa vlla dedit, sub auribus osculum ipsi visebatur, Lampetræ osculo simile.

Agni monstrosi effigies.



Anno Domini 1577. in pago Blandio tribus à Meloduno miliaribus, natus est agnus triceps, medium caput reliquis crassius erat. Blante vno reliqua pariter balabant capita. Id monstrum sibi visum affirmauit Ioannes Belangerius Chirurgus Melodunensis, sculpendumque, & cum monstro humano, quod capite ranali ante descripsimus, excludendum curauit.

Agni tricipitis effigies.

Monstra patre cœlo edita.



Sunt quædam monstra, in quorum generatione ex eo diuini aliquid esse videtur, quod huius principia ex generali monstrorum causa, id est, natura, seu errore naturæ, propter commemoratarum causarum particularium aliquam repetere non possis. Eiusmodi ea sunt monstra, quæ omnino contra omnem naturã sunt, quale illud est, cuius ante meminimus, editus oue Leo. Horum tamen causam Astrologi, ne aliquid esse, quod nesciant, videatur, ex certis constellationibus, astrorum cõtuitu, influxuque syderum, Aristotelis *in Problematibus* sententia euocant. Cuius rei exemplum, quod sequitur, commemorant. Alberti Magni temporibus contigit, vt in villa quadam vacca vitulum semihominem ederet. Pagani concursu facto pastorem quasi tanti sceleris conscium in iudicium rapuerunt, mox cum vacca comburendum: Sed opportune adfuit Albertus Magnus, cui propter Astronomicæ artis multiplicem & certam experientiam creditum est, non humano aliquo scelere, sed stellarum certæ constitutionis efficacia id generis monstrum editum.

De monstris, quæ dæmonum arte & vaframento fiunt.

CAP. XIII.

Sortilegos esse, & qui fiant.

IN hoc de Monstris, quæ dæmonum vaframento fiunt, tractatu, veniam à beneuolo Lectore precamur, si forte à proposito discedentes longius, de dæmonum existentia, natura, & speciebus dicere videamur liberius. In primis igitur constat, sortilegos esse, incantatores, & veneficos, qui quicquid agunt, ex pacto & commercio cum dæmone, cui se addixerunt, agunt. Nemo enim in sortilegorum & incantatorum collegium admitti potest, qui Deum Creatorem, & Saluatorem suũ non eiurauerit, ipsiq; vni debitũ obsequium, in dæmonẽque, cui se deuouerit, non transtulerit. Et certe quisquis sortilegorũ sup-

Quid homines ad sortilegia inuitet.

stionib. addicit, id agit, vel quia de Dei numine, promissis & studio, ppẽsaq; erga nos voluntate diffidit: vel qa futurorũ prescièdorũ insano amore tenetur: vel qa paupertatẽ fastidiẽs ex humili fortuna admaximas opes momẽtoviã affectat. Tales quosdã homines existere, & cũ semel dæmoniacis impiisq; sacris addixerũt, arte dæmonũ mira multa efficere, corpora corporũq; sanitatẽ, vitã, rerũq; omniũ mũdanarum condi-

conditionem pro arbitrio versare, & corrumpere, constans omnium tum Philosophorum, tum Theologorum veterum ac recentium sententia est. Id & nos cogit fateri experientia: eas enim artes factitantibus hominibus statuta sunt legum decretis supplicia. At de his, quæ nec fuerunt, nec vnquam in hominum notitiam venerunt, leges nullæ conduntur. Iura enim pro impossibilibus & non existentibus ea habent, quæ nunquam visa sunt, nunquam audita fuere.

Quid dæmones sint. Exo. cap. 22. Leu. cap. 19. Pau. ad Hè. 1. 14. ad Galat. 3. 19. 1. Thes. 4. 16.

Ante natum Christum multi extitere eiusmodi homines: nam à Mose, per quem Deus populo suo legem dedit, leges in eos latæ leguntur *in Exodo & Leuitico*. In Ochasiam mortis sententiam per Prophetam tulit Deus, quod ad huius farinæ homines diuertisset. Docemur sacræ scripturæ elogiis, bonos esse & malos spiritus, siue dæmones: illos Angelos, hos vero diabolos nominari, nam & lex data dicitur per ministerium Angelorum. Dicitur vero, quod corpora nostra resurgent ad sonum tubæ & vocem Archangeli, dixit Christus Deum missurum Angelos, qui electos a terminis cœli excipiant. Testatur historia Iob, diabolum ignem de cœlo dimisisse, pecudes & armenta trucidasse, ventos concitasse, qui domus quatuor angulos quaterent, & liberos eius ruina inuolutos obruerent.

Ioan. 13. Mar. 1. 26. 34.

Historia Achab meminit Spiritus cuiusdam mendacij residentis in ore Pseudoprophetarũ. Diabolus Satanas ingressus in Iudam impulit ipsum ad prodendum Christum. Diaboli, qui magno numero hominis corpus occupabant, dicebantur Legio, impetraruntque à Christo, vt sibi liceret subire in porcos, quos mox in mare præcipitarunt. Ab initio magnum numerum Angelorum creauit Deus, qui diuini spiritus & incorporei cœlum incolerent, Dei voluntatem tanquam nuntij hominibus significarẽt, & tanquam ministri exequerentur, qui hominum rebus tanquam curatores & cũstodes additi consulerent. Ex tanto tamen numero extitere nonnulli, quos superbia occæcauit, & præcipites ex Dei Creatoris conspectu, totoque cœlesti domicilio deturbauit. Hi nocentes & maligni variis præstigiis hominum mentibus illudunt, semperque aliquid struunt in perniciem nostram, humanum genus breui exitio daturi, nisi Deus eorum furorem cohiberet, tantum possunt, quantum Deus permittit. Cœlo abacti, alij in aere degunt, alij in terræ penetralibus, illic mansuri, donec Deus apparuerit iudicaturus mundum. Ac tanquam in medio aere nubes nunc se in centauros, alias in serpentes, rupes, castra, homines, aues, pisces, & alias formas conuertere videntur, sic spiritus hi in omnia se rerum miracula & species induunt: sæpe vero in feras, serpentes, buffones, noctuas, vpupas, coruos, capros, asinos, canes, feles, lupos, tauros, & similes alias. Quin & crebro humana corpora, tum mortua, tum viua corripiunt, pœnis exercent & fatigant: imo etiam in Angelos lucis se transformant. Simulant se includi cogique annulis magicis, sed insidiosa est omnis simulatio ista: optant, timent, amant, horrent, sæpe tanquam ex officio Dei nutu & mandato à sceleratis malefactorum pœnas exigunt: nam & malos Angelos Deus in Ægyptum misisse legitur, qui hostilia agerent. Vlulant de nocte, fremuntque, & obstrepunt quasi vincti catenis constringerentur, scamna, mensas, abacos, sulcra, mensaria commouent, puerulos in cunis motitant, fritillo ludunt, libros euoluunt, nummos numerant, deambulantes per cubicula & cachinnantes inaudiuntur, ostia, fenestrasque adaperiunt, tinnientia vasa in terram proiiciunt, figulina & vitrea allidunt, aliosque similes strepitus cient. Horum tamen omnium tumultum nihil mane surgentibus nobis apparet, nihil loco mutatum, nihil fractum cernitur. Variis notantur nominibus, nam & dæmones, cacodæmones, incubi, succubi, lemures, laruæ, mali Angeli, satanæ, luciferi, lucifugi, mendacij parentes, tenebrarum & mundi principes, legio, & aliis nominibus, pro officij, quo funguntur, diritate, insigniuntur.

Diabolicæ fraudis ludibria.

Damonum nomina.

De Subterraneis & lapicidinas incolentibus dæmonibus.

CAP. XIV.

Metallici dæmones quarumrerum satagunt.

LVdouicus Lauaterus scribit ex metallicorum certa renuntiatione, in fodinis quibusdam videri spiritus, qui humano more induti, opus illic faciant, & varie discursando multum operati esse videantur, cum tamen quieti eodem in loco stent. Interim vero nemini adstantium noceant, nisi forte dicteriis aut cachinno lacessiti. Tum enim graue aliquid & durum, quod obuium fuerit, in ipsum, qui læserit, coniicere, aut quauis alia ratione nocere. Esse vero in Rhetia argenti fodinam idem author prodit, ex qua magnam vim argenti Petrus Briotus loci illius Consul suis temporibus eruebat. In ea dæmon erat, qui Veneris præsertim die, cum metallici, quod metalli eruerant, in cuppas effundebant, rerum multarum, tanquam opera vehemente minister, satagebat, & ex cuppis in alias cuppas metalla pro arbitrio transuasabat. Contigit die quadam, vt solito amplius tumultuaretur, adeo vt ex metallicis vnus ei conuitiatus fuerit, abireque in malam inferorum crucem, & destinata sibi supplicia iusserit. Imprecatione & conuitio offensus dæmon, capite comprehensum metallicum sic contorsit, vt vibrato collo os posteriora spectaret: neque tamen inde mortuus est metallicus, sed aliquot annis postea superstes intorta semper ceruice multis probe notus vixit.

Quibus modis nos fallant dæmones.

CAP. XV.

Dæmones spiritus esse & ab æterno.

MVltis modis illudere animis nostris, terrena corporum fæce inuolutis, dæmones possunt: nam essetiæ tenuitate ac subtilitate, & multo rerum vsu pollent: præterea in sublimaria omnia multũ sibi iuris mundi illi velut principes vendicant. Itaque non est mirum, si mendacij doctores ac parentes ab initio nubes & caligines oculis nostris obiiciant, in mille rerum corporumque species se induant, quo his præstigiis & sutelis tenebras mortalium animis offundant.

De Sucu-

De Sucubis & incubis. CAP. XVI. A

Nominū ratio. HIs, quæ diximus, artibus & dolis potentes, non raro se hominibus tanquam per concubitum miscuerunt, ex quo, qui se viris subiiciebant, Sucubi, qui mulieres appetebant, Incubi sunt nominati.

Lib. 15. de ciuit. Dei. c. 22. & 23. Equidem haud omnino abnuisse videtur D. Augustinus, quin in hominem se induentes, genitalia vellut naturę opera implere possint, eo consilio, vt incautos libidinum subiectis flammis transuersos à virtute & castitate agant.

Historia. Ioannes Ruepff, *in libris de Conceptu & Generatione hominis*, scribit, temporibus suis mülierem quandam libidinis perditæ, & deploratæ verecundiæ, noctu cum dæmone, qui se in virum induerat, rem habuisse, repenteque à concubitu aluo tumidam euasisse, cumque grauidam se crederet, in dirum adeo morbi genus incidisse, vt interanea omnia illi per anum exciderint, nihil contra valentibus remediis.

Historia. Similiis de Lanij cuiusdam seruo narratur historia: Ei in venereas cogitationes de nocte profundius demerso, apparuit diabolus muliebri facie, cum quo (mulierem esse ratus) rem cum habuisset, genitalia sic à coitu exarserunt, vt suborto igne sacro multo cum dolorum cruciatu interierit. Nec vero Petro Paludano & Martino Arelatensi absurdum esse videtur, asserere, dæmones hominem gignere posse si semen viro alicui seu mortuo, seu viuo subductum, in vterum muliebrem effuderint. Est tamen absurdissima & falsitatis plena hæc opinio. Semen enim virile seminali seu sanguinea materia & spiritu multo constans, si alio à testiculis, quam in vterum, vel minima mora diuertat, euanescentibus è vestigio calore & spiritibus extinguitur. Nam vel sola virilis membri longitudo maior inter sterilitatis causa censetur, quod per illam viæ longitudinem refrigeretur semen. Si qui sint, qui inter concubandum, post effusum semen statim à complexu muliebri se reuellant, propter subeuntem in hiantem adhuc vterum aerem, qui semen corrumpere creditur, gignere non putantur.

Falsitatis cõuicta opinio. B

Auerrhois historia falsi conuincitur. Ex quibus patet etiam, quam falsa sit Auerrhois de muliere quadam historia, quæ se filium concepisse narrabat ex semine virili in balneum, in quod mox digresso viro descenderat, effuso, & vtero suscepto. Multo vero minus credibile est, dæmones cum mulieribus concumbere posse: sunt enim illi naturæ plane spiritalis, atqui ad generationem hominum sanguis & caro necessaria sunt. Incorporeos dæmones corporearum mulierum amoribus teneri, quæ ratio dabit naturalis? Quibus generationis instrumenta desunt, qui hos gignere posse credemus? Qui nec cibo, nec potu replentur, semine turgere dici qui poterunt? Iam vero vbi propagatio speciei per successionem indiuiduorum necessaria non est, C veneris desiderium natura non immisit, & generationis vsum non impertiit: atqui semel creati, Dei nutu immortales sunt dæmones. Quod si gignendi facultas dæmonibus concessa esset, iamdudum dæmonibus omnia plena essent. Si quando ergo ex dæmonum consortio grauidæ mulieres parere videantur, id illis, quas *superiore capite* diximus, artibus fieri putandum est, nempe viuentium mulierum corpora detritis pannis, ossibus, ferramentis, spinis, intortis pilis, frustis ligneis, serpentibus, & mille aliarum discordantium contra naturam muliebrem rerum farragine infarcire solent: quibus postea aduenientę velut partus tempore, per eius, quæ falso prægnans creditur, vuluam, ante occæcatis & præstrictis adstantium mulierum circularum oculis, exitum suis præstigiis moliuntur: cuius rei fidem faciet sequens multorum fide dignissimorum scriptorum literis consignata historia.

Dæmonum præstigia.

Historia. Extitit Constantiæ formosa virgo Margareta nomine, quæ ditissimo ciui ancillabatur: hæc passim prædicabat grauidam se ex dæmonis consortio nocte quadam factam. Qua de causa eam iustitiæ custodes in carcere continendam putarunt, vt qualem exitum habitura esset hæc fabula, certo sibi & omnib. constaret. Adueniente *legitimi* velut partus tempore, dolores sensit parturientium & enitentium mulierum simillimos: tandemq; post multos & prægrandes obstetricum conatus, pro humano fœtu, aperto vtero ferrei claui, frustula tum lignea, tum vitrea, ossa, lapides, pili, stupæ & similes plane tum à se, tũ natura parturientium abhorrentes quisqui liæ, veteramenta, ac scruta, ante à dæmone ad illudendum humanis & nimium credulis mentibus intrusa, dimanarunt. Agnoscit equidem Ecclesia dæmones, Dei sceleram nostrorum vltoris nutu, hominibus ad coitus quandam speciem abuti posse. At quod inde humanus fœtus prodire possit, non modo falsum esse adstruit, sed & tanquam impium detestatur, vt quæ credat, neminem vnquam, si Christum Saluatorem exceperis, hominem sine semine virili genitum. Iam vero quæ confusio & creaturarum perturbatio hunc orbem (vt dicebat Cassianus) occuparet, si liceret dæmonibus ex virorum coitu concipere, aut si possent mulieres dæmonum consortio grauidæ fieri? Quot iam monstra à condito mundo nobis dæmones peperissent: quot prodigia protulissent, immisso in ferarum & brutorum animantium passim vuluas semine suo? Philosophorum enim sententia, quoties facultas & voluntas in idem concurrunt, effectus necessario proferri & prodire solet: at dæmonibus nunquam defuit voluntas humani generis & mundani huius ordinis conturbandi: Est enim (vt aiunt) Dæmon inimicus noster ab initio, & vt Deus ordinis & pulchritudinis author est, sic dæmon per superbiam Deo aduersus, confusionis & turpitudinis. Ergo si ad malam illam mentem, malumque animum, si ad nequitiæ & inuidiæ voluntatem pleniſſimam, par potestas accederet, quis dubitare potest, quin summa rerum omnium & specierum confusio, quin summa deformitas, mundi huius munditiem comptam, & ornatam monstris vndique coorientibus sit inuasura? Iam vero quæ coeundi, quæ gignendi potest esse voluntas, vbi nulla voluptas est, nulla speciei metuenda mortalitas? Cum igitur dæmones incorporei sint, venereis illecebris teneri & tentari, quæ dabit ratio? Cum Dei nutu immortales sint, vt in pœnam miseri viuant, quid successione per indiuiduorum generationem est opus? Quare si nec volunt, nec possunt, nefas est putare, eos hominibus commisceri.

Sceleranostræ in causa esse, cur dæmones nobis abutantur. D

E

De Ma-

A *De Magicis, & trans naturam morbis ac remediis.*

CAP. XVII.

Lib. 2. de cbd. cap. 16 QVo Lectoris animum ad has de monstris dæmonum, veneficorumque & sortilegorum hominum ipsis inseruientium arte suscitatis historias inuitatum plenius reficerem, visum est, sequentes de morbis quibusdam remediisque trans naturam ac plane magicis ex Fernelio deceptas cumuli loco superaddere. Existunt morbi, qui vt in homines ab irato Deo immissi sæuiunt, sic aliunde, quam à Deo remedia expectare nequeunt: ex quo essentiam & curationem trans naturam habere creduntur. Sic aer plerũmque, maxime tamen Dauidis pestilentia contaminatus, sexaginta & amplius hominum millia neci dedit. Sic Ezechias graui morbo percussus est. Iob vlcere pessimo à Satana Dei iussu fœdatus. Atq; vt hos cæodæmon humani generis hostis ferus & immanis fere solet Dei permissu infligere, ita homines malefici miris dæmonum artibus vim multis noxamque inferunt. Alij nescio quos inuocant, adiurantque, herbis, exorcismis, imprecationibus, incantamentis & carminibus: alij collo subnectunt, aliter ue gestant scripta quædam, characteres, annulos, imagines, aliaque nefanda. Alij cantibus vtuntur sonis B vel numeris: interdum potionibus, suffitibus, & odoribus, interdum fascinatione & præstigiis. Sunt, qui absentis imaginem cera effingant, & quauis illius parte compuncta, verborum atque syderum vi, in similem absentis sedem, morbum inferre iactitent, aliaque non pauca de infligendis morbis præcepta. Compertum habemus, magos, sagas, sortilegos incantamentis nonnullos ita vinxisse, vt cum vxore cõcumbere non possent: alios concubitus impotentes, quasi exectos aut eunuchos reddidisse. Neque solum morbos, verum etiam dæmonas scelerati homines in corpora immittunt. Hi quidem visuntur furoris quadam specie distorti, hoc vno tamen à simplici furore distant, quod summe ardua obloquantur, præterita & occulta renuntient, assidentiumque arcana referent, eosque multis conuiciis impetant, & diuinorum verborum potestate terreantur, contremiscant, aut succenseant.

Sortilegos vi dæmonica instructos nocere.

Historia. Quidam non ita pridem cum per æstus nocte vehementer sitiret, è somno surgens potu non inuento, obuium malum forte prehendit, idque mandens, fauces sibi quasi manu præcludi, strangulariq; sensit: simulque à subeunte dæmone iam obsessus, visus est in tenebris videre à prægandi, nigerrimoque cane vorari, qui postea restitutus integra mente nobis ordine recensuit. Hunc non pauci ex pulsu, ex calore & scabritie linguæ febricitare, ex vigiliis & mentis perturbatione simpliciter delirare iudicabant.

Historia.

Iuuenis alius familia equestri paucis ante annis, corporis concussione, & quasi conuulsione ex tẽ-
C porum interuallis laborauit, qua nunc solum sinistrum brachium, nunc dextrum, interdum etiam digitum vnicum, alias crus alterum, alias vtrumque, alias corporis truncum tanta celeritate exagitaret, vix vt à ministris quatuor decumbens cohiberetur. Caput autem inconcussum iacebat, lingua & locutio libera, mens sana, omnesque sensus integri, vel in conuulsionis ferocia. Decies minimum quotidie corripiebatur, in interuallis sanus, sed labore confractus. Vera epilepsia iudicari poterat, si mentis sensum-que læsio accessisset. Peritissimi quique Medici adhibiti conuulsionem epilepsiæ finitimam à maligno venenatoque vapore spinæ dorsi impacto censuerunt, è quo vapor in eos neruos manaret, qui à spina in artus quoquouersum, non autem in cerebrum disseminantur. Hæc credita causa vt submoueretur, clysteres imperantur frequentes, purgationes generis omnis & validæ, cucurbitulæ infiguntur neruorũ initiis, fotus, vnctiones, emplastra primum, quæ discuterent, deinde quæ roborarent & malignam qualitatem obtererent. His parum proficientibus sudores proliciuntur, balneis, æstuariis, & guaiacinæ ebeni decocto, quæ nihil magis profuerunt, quoniam omnes longe aberamus à cognitione veri. Nam mense tertio primum deprehensus dæmon quidam totius mali author, voce, insuetisque verbis ac sententiis tum Latinis, tum Græcis (quanquam ignarus linguæ Græcæ laborans esset) se prodens multa assidentiũ, maximeque Medicorum secreta detegebat: deridens, quod eos magno periculo circumueniisset, quod-
D que irritis pharmacis corpus hoc pene iugulassent. Quoties laborantem pater inuisebat, is procul à conspectu inclamabat, appellentem hunc arcete, & ab ingressu propulsate, aut torquem è ceruice detrahite ex hoc enim, (vt Gallorum torquatis equitibus in more est,) D. Michaelis imago propendebat. Si sacra, diuinaque coram legebantur, ferocius subsaltabat & inhorrescebat. Cum intermissio erat ferociæ, laborans in quiete omnium meminerat, quæ inuitum se protulisse fatebatur, & dolebat. Ceremoniis & execrationibus compulsus dæmon, negabat se crimine damnatum, & spiritum se nuncupabat: Interrogatus, quis esset, aut quo modo, & qua potestate hæc moliretur, dixit, multa esse intus domicilia, in quæ se recondat, & in quiete ad alios commigrare: se in hoc corpus iniectum à quodam, cuius nomen non efferret: à pedibus ingressum in regiam, & à pedibus egressurum cum præstitutus dies aduenerit. De aliis non paucis differebat, quæ etiam ex aliis dæmonum laqueis irretitis interdum audiri solent. Neq; hæc vt noua profero, sed vt constet, dæmones alias intro subeuntes in corpus, id ipsum variis & inauditis interdum modis lacessere: alias non intro subire, sed vel vtiles corporis humores exagitare, vel noxios
E in principes partes traducere, vel hisce venas aliosque ductus obstruere, vel instrumentorum structuram permutare, quibus ex causis innumeri morbi fiunt. Horum dæmones authores sunt, scelerati, perditique homines ministri, omnisque eorum trans naturam est ratio.

Dæmon prõdit se sermone Graco.

Succenſent dæmones & terrentur diuinorum potestate.

Plinius cõmemorat ætate sua principem Neronem vanas, falsissimasq; cõperiisse magicas artes. Sed quid pfana persequimur, cũ magica & esse & fuisse, quæ in sacris extant de Pythonissa, de muliere vẽtriloqua, de Nabuchodonosor Rege, de magis Pharaonis, aliaq; nõ pauca perhibeãt; De Denarcho narrat Plinius, eũ degustatis extis pueri in sacrificio immolati, in Lupũ se cõuertisse. Circẽ vero Vlyssis socios in illo

Dæmones duobus mõdis sanitatẽ nostram labefactare.

illo errore diuturno, poculo mutasse in feras, apud Homerum legimus, & apud Virg. messes satas, alio carmine traduci Quæ nisi multorum fide comprobata, contestataque forent, non tam multas leges Iurisconsultorum prudentia in magos tulisset, neciis, qui messes incantassent, in lege duodecim tabularũ pœna esset constituta. Vt autem magicis artibus dæmon, non res ipsas, quippe quas generare non possit, sed solas rerum species & spectra quædam exhibet: ita & in his, quæ ad medendi vsum quouis modo accommodantur, nec certa, nec tuta, sed fallax, captiosa, & periculosa est sanatio. A

Captiosam esse, quæ à dæmone administratur sanationem & sanitatis tãtum speciem non rem veram sanitatem.

Vidi scripta chartula collo subnexa vniuersi corporis icterum vna nocte detergeri. Vidi & febres verbis, cerimoniis quadamtenus profligari, sed quæ mox similiter, aut multo deterius recurrerent. Exstant autem & quædam inania, vereque anilia, quæ quoniam hominum imbecillitatem nimia superstitione iamdiu occupant, superstitiosa dicimus: ea sunt, de quibus dicere nemo possit, cur & vnde creditas vires habent. Neque enim à temperamento, neque ab aliis manifestis qualitatibus, neque à tota substantia, neque a diuina, vel magica potestate, quibus duobus postremis remedia omnia, quæ trans naturam sunt, adeoque morbis essentiam trans naturam habentibus adhiberi debent, continentur. Illiusmodi vero anilia & superstitiosa remedia sunt scripta signa, characteres, annuli, qui nec Dei, nec spirituũ opem implorant.

Anilia & superstitiosa ad multos morbos remedia.

Rogo, nonne superstitiosum remedium est, comitialem morbum sanari gestatis nominibus triũ Regum, Gasparis, Melchioris, & Balthasaris, qui Christum adoratum venerunt? Dentium dolorem mitescere, si quis, dum Sacrum fit, dentes contingat, hæc verba efferens, *Os non comminuetis ex eo*; Vomitiones conquiescere, cerimoniis & verbis quibusdam, quæ medicaturi vel absentes pronuntiant, satis forte rati, si modo laborantis nomen cognitum habeant? B

Vidi quendam, qui è quacunque corporis parte profluentem sanguinem cohiberet, partis contactu, verba quædam obmurmurans: Sunt, qui hæc commemorent, *De latere eius exiuit sanguis & aqua.* Ad febres sanandas quam multæ circumferuntur preces: Est, qui laborantis prehensa manu dicat: *Æque facilis tibi febris hæc sit, atque Mariæ virgini Christi partus.* Alius ante paroxysmum manus cum ægro lauat, recitans secreto Psalmum illum solennem: *Exaltabo te Deus meus Rex.* Si quis asino in aurem dixerit, percussum se à scorpione, transire malum protinus tradunt.

Vt verba, ita & scripta in superstitiosis multa numerantur. Ad arcendam lippitudinem, charta, in qua duæ Græcæ litteræ P. & A, inscriptæ sint, circumligata lino subnectatur collo.

Ad dentium dolorem ridiculum hoc scriptum appensum, *strigiles, falcesque dentatæ dentium dolorem persanare.* In his etiam, quæ foris admouentur, non leuis plerumque superstitio est. Eiusmodi illud est Apollonij apud Plinium, *vi interempti dente, gingiuas in dolore scarificari.* Ex calua suspendio interempti, capotia contra fieri canis rapidi morsus. Comitialem morbum sanari cibo è carne feræ occisæ eodem ferro, quo homo interfectus sit. A quartana febre eum liberari, qui vinum biberit, in quod immersus fuerit gladius, quo sit caput abscissum: & eum, cuius vnguium resegmina anguillæ viuæ collo subnectãtur in linteolo, illa mox in aquam dimissa. Lienis dolorem sedari, si pecudis lien illi supertendatur, dicatque Medicus, lieni se medicinam facere. A tussi vnumquemque liberari, qui in os rubetæ ranæ inspuerit, ea mox viua dimissa. Laqueum suspensi circumdatum temporibus, temporis dolorem sedare. Hoc verbum *Abracadabra*, chartæ ea figura inscriptum, qua Serenus tradit, ex collo appensum, à febribus, maximeque ab hemitritæo liberare. Quid etiam veri id habere potest, quod multi affirmant, Laruptum deiectionem? Quin & in herbis non pauca videat superstitiosa figmenta, qualia Galenus ab Andrea & Pamphilo conscripta commemorat incantationes, transformationes, & decantatorum dæmonum*que* herbas sacras. C

Ad lienis dolorem. Ad tussim.

6. simpl.

Hæc & similia nunquam putassem hic adscribenda, nisi passim reperirentur tam male feriati homines, qui relictis artibus illis & modis, qui à Deo ad corporis humani sanitatem conseruandam pertinent, alio ad superstitiosa & sortilegorum hominum vel dæmonum potius ridicula remedia confugiũt quibus tamen, quem sperabant, euentum aliquando conficit dæmon, quo sic perpetuo illos irretitos, & nefandis sacris suis mancipatos detineat. Neque vero quod plerique hodie iactitant, *abs quouis & quauis arte sanitatem, cum opus est, recipere, bonum est: Indignum est Christiano hoc prouerbium: eum potius respit, qui dæmoni magis, quam Deo confidit.* Non sunt huius sortilegorum & magorum farinæ empyrici illi, qui carpto lino sicco, vel aqua pura tincto, vulnera simplicia sanant. Non est magicum, non miraculosum hoc remediũ, vt plerique putant: sed plane naturale, à naturæ, vulnerum & fracturarum medicatricis fontibus profectum, cui Chirurgus tantum opitulatur, ea modo impedimenta tollendo, dolorem dico, fluxionem, inflammationem, abscessum & gangrænam, quæ eiusmodi morborum curationem remorantur. Quæ sequuntur exempla, dæmonicæ peruersitatis in salutem & vitam nostram maligne aliquid semper & insidiose machinantis fidem facient abunde. D

Non esse bonum à dæmone sanitatem accipere

Lib. epistol. 38. epist.

Mulier quædam Florentiæ, vt scribit Langius, maligno vlcere obsessa, dum intolerabilibus venticuli doloribus diueller etur, nec Medici opem vllam ferre possent, en, repente oblongos & recurtos clauos, æneasq; acus vna cum cera & capillis conglomeratas euomit: & postremo ingens carneum ientaculi frustum, quale nec Gigantis fauces deglutirent, eructauit. E

Sed illud, quod à Christo ex Deipara virgine nato 1539. in quodam Eistettensis episcopatus ditionis pago Fugenstal accidit, omnem superaret fidem, nisi oculati spectatæ fidei testes adhuc superessent: In quo pago Vlrichus Neusesser agricola, cum crudelibus dolorum tormentis in altero hypochondrio rum latere conficeretur, subito clauum ferreum sub illæsa cute manu apprehẽdit, quem Chirurgus illic balneator nouacula exciderat, nec tamen dolores cessarunt, sed magis in dies recrudescebant:

Quare

A Quare cum nec aliud doloris fore remedium miser, quam mortem suspicaretur, arrepto cultello sibi guttur abscidit: Mortuum apertum est cadauer, & dissecto ventriculo lignum teres & oblongum, quatuor ex chalybe cultri partim acuti, partim serræ instar dentali ac duo ferramenta aspera reperta fuere, quorum singula Spithami magnitudinem excedebant. Aderant & capillorum instar globi inuolucrum, Dæmonis omnia astu & dolo ingesta. Hæc Langius.

De Mendicantium vasramentis. CAP. XVIII.

EXposita monstrorum historia, sequitur, vt de his dicamus, quæ vel ex sese propter naturam admirationis plenam monstri speciem quandam habent: vel aliunde, nempe hominum fraudibus & sutellis assumunt. Ac quoniam dæmonum proxime expositis præstigiis, mendicantium dolosæ artes, quibus id potissimum efficitur, affines sunt, ideo ab his initium ducemus, quo monitus edoctusq; earum Chirurgus, cautior sit & callidior in ipsis, cum occurrerint, discernendis.

Anno Domini 1525. cum essem Andegaui, stabat pro templi foribus vafer mendicus, qui proprio brachio post terga reuincto & abdito, in eius locum ex suspensi cadauere resectum thoraci adiunctum furcula fulciente populo ostentabat, quasi igne sacro correptum, quo prætereuntes in sui commiserationem magis incitaret. Latuitq; fraus, omnibus certatim stipem erogantibus, donec tandem haud fideliter adnexum, solutis omnibus vinculis in terram procidit, spectantibus & obseruantibus multis. Comprehensus & in carcerem deiectus, magistratus sententia, alligato ex ceruice & in pectus propendente adulterino brachio, virgis publice cæsus est, & in exilium eiectus. B

Historia de adulterino brachio.

Erat mihi frater Ioannes Pareus Chirurgus, Vitrei in Britania Gallica habitans. Is aliquando animaduertit mulierculam mendicantem, quæ mammam ostentabat velut cancroso vlcere obsessam, aspectu horribili, propter multum & sordidum pus, quo id subiectum linteum manare videbatur. Mulierculæ faciem viuidumque in facie & circumstantibus vlcus locis colorem, totius denique corporis colori illi consentientem euexiam (erat enim præpinguis & optimo corporis totius habitu) cum propius & diligentius esset contemplatus, facile adductus est in suspicionem latentis doli: Coniecturam suam magistratui indicauit, impetrauitque, vt mendicam illam sibi liceret in suas ædes deducere, quo certiore nota rem omnem exploraret. Renudato igitur eius pectore, comperit sub axilla spongiam imbutam liquore ex brutino sanguine & lacte commixto, sambucino tubulo per latentia ficti cancrosi vlceris foramina decurrente. Ergo calente aqua mammam fouit, vdoq; fotu sibi inuicem supertextas, & glutine ex bolo armeno, oui albumine ac farina cohærentes, ranarum nigrarum, viridium, & citrinarum pelliculas resoluit, hisque resolutis subiectam mammam integra sanitate fruentem comperit. Conie cta in carcerem eo nomine mendica fassa est eas se fraudes edoctam à mendico adultero, qui & ipse circumposito tibiæ liene bubulo, certisque locis, quibus commemoratus liquor stillaret perforato, monstrosæ magnitudinis & malignitatis vlcus, circumtectis vndique sordidato linteolo lienis appositi marginibus effingebat. Quæsitus sedulo mendicus adulter comperi non potuit, ipsa foris operta in exilium acta est. C

De mammæ cancrosa.

De tibia vlcere mentito.

Vix annus exactus erat, cum in eandem vrbem appulit mire versipellis alter eiusdem farinæ mendicus, qui occupatis statim templi foribus merces suas explicuit, ricam nempe minuta stipe, qualis in pauperes erogari solet, onustam, ligneum doliolum, & crepitacula, quæ dextra manu comprehensa magno strepitu ex interuallis concutiebat. Facies illi crassioribus pustulis consperſa assurgebat, confictis fabrili glutino ex rubro, elephanticorum in morem, liuescente. Hæc eum persona horridum aspectu, omnibus miserabilem reddebat, quod causæ erat, cur illi quisque de suo erogaret. Tum frater meus se illi propius admouit, quæsiuitque, ex quo tempore, tam diro morbo correptus esset: ille obscura voce & rauca respondit ab vtero se materno elephanticum prodiisse, elephante tam diro sibi vtrumque parentem mortuum, vt membra frustatim conciderent. Cæterum laneam circum fauces fasciolam habebat, qua manu læua sub pallio constricta guttur sibi sic arctabat, vt simul multus sanguis ater in faciem assurgeret, & vox vix vi erumpens magis rauescceret: continere tamen se non poterat, quin inter loquendum ducendi liberius aeris gratia fasciam remitteret. Quod postquam animaduertit frater, fraudem subesse ratus, à magistratu impetrauit, vt sibi liceret, hominem, verene elephanticus esset, probare, & examinare. Primum igitur ipsi fasciam ceruicibus circumfusam exemit, inde tepente aqua faciem lauit, sic vt ficta & glutine coagmentata tubercula dissoluerentur, faciesque vitii omnis expers, naturali & bono colore ac charactere renideret. Totum inde ipsi corpus renudauit, anxieque vestigatis & lustratis omnibus membris, nullum elephantis signum vniuocum aut æquiuocum comperuit. D

De elephanticum simulante.

Quod postquam resciuit magistratus, comprehensum ipsum & in vincula coniectum, iterum tertiumque per vrbis compita flagris cædendum, pendente in pectus doliolo, in dorso vero crepitaculis tortori tradidit, addita perpetui exilii pœna. Accidit, dum tertia nundinali die cæderetur, vt per iocum conclamaret populus, ne vereretur eum gnauiter cædere, qui se elephãticum professus, nihil plane sentiret: acclamatione vrgentis populi accensus carnifex, adeo cædendo inuectus est, vt paucis post diebus miser ille, & mendicus flagris interierit: dignus profecto tali mercede. Nam impostorum genus præterquam, quod tanquam ignauum fucorum pecus, hoc vel illo morbo miris modis simulato, alieno labore otiosum viuit, tum etiam non raro coniuratione facta, proborum & frugi ciuium vitæ & fortunis insidiatur. E

Mendicantium multitudo vrbi perniciosa.

Sunt enim, qui sub vesperam, tanquam sine lare & foco homines, in ædes exigendæ noctis gratia intromitti flagitent, intromissique mox hospite dormiente commilitonibus suis similis nequitiæ hominibus

minibus fores patefaciant, omnibusque, quæ possunt, elatis, totam familiam trucident. Profecto impostoriam istam mendicitatem iure omnis improbitatis matrem & scholam dicere possis. Quot enim lenocinia, veneficia, intoxicatis passim puteorum, fontiumque publicorum aquis, & incendia fiunt mendicitatis specie? Vnde exploratores? vnde malarum omnium artium artifices, & ministros magis idoneos nanciscipossis, quam ex nefario isto mendicabulorum cœtu? A

Mendicitatem esse omnis nequitiæ scholam.

Sunt, qui fuligine in aqua diluta, faciem sibi, quo ictherici appareant, oblinunt. Sed fucum, postquam ex oculorum Adnatę tunicę natiua albedine, quę in vere ictericis flauo colore maxime infici & offundi solet, primo appulsu & aspectu subolfeceris, tum certiore nota deprehenderis, si aqua vel saliua madefacto linteo detersa facies, vanescente extemplo assuta flauitie, laudabili colore refulgeat.

Qui deprehendantur ictherum simulantes.

Sunt, qui vrentibus herbis sæuius affrictis artus laniasse, & turpiter exulcerasse, cauteriis membra vatio stigmate inussisse, proprium corpus medicatorum succorum haustu tumidius, macrius & depressius reddidisse, aut alio quouis modo deformasse, non contenti, ingenuos etiam optimatum & bonorum ciuium, à quibus benigne excepti fuerant, pueros furto subduxerunt, brachia & crura aut fregerũt aut intorserunt, linguam abscidertunt, sternum, pectusque totum depressertunt, vt his tanquam proptiis liberis, per totum orbem quæstuosa peregrinatione circumlatis, nummos vndique corrogarent, flebiliter inclamantes tantam sibi cladem fulminis diritate & inclementia inflictam esse. Denique vniuersum orbem inter se tanquam in prouincias partiuntur, ac quicquid illic noui geritur, quicquid noui adinuenitur, quod ad personatæ mendicitatis mangonia & vaframenta amplificanda pertineat, sibi mutuo literis communicant: in quam rem peculiare idioma, & sibi solis sic notum, vt in eo reliqui surdi sint, garritum habent. B

Defectus, procidentiamque ani simulante.

Flexellius Lutetiæ Doctor Medicus, inuitarat & deduxerat me olim in villam suam Champinianam, quatuor ab vrbe miliaribus. Ibi dum forte in chorte deambularemus, subito adstitit crassa quædam & bene habita virago, eleemosynam petens in honorem D. Fiacrii, cycladem hæc subuculamque subrigens, crassum intestinum semipedali longitudine ostentabat, quod illi ex ano velut prociduum propendebat, è quo stillabat liquor puri similis, qui crura & subuculas turpi & visu horribili velut tabo, vndique infecerat. Quæsiuit Flexellius, ex quo tempore tali morbo correpta esset, respondit quartum iam annum morbi agi, hinc subesse fraudem facile suspicatus est. Non enim verisimile esse tam bene habitæ & coloratæ, tantam purulentæ eluuiei copiam, ab interno corpore dimanasse: emactuisset enim potius, hectica tabe consumpta: itaque iusta ex doli indignitate ira accensus, toto in eam corpore insiluit, in terram prostrauit, conculcauit, pessundedit pluribus pedem in ventrem inflictis ictibus, reuulsoque cum sono pendente intestino, grauiora veritam coegit technam fateri: haud scilicet verum & suũ, sed ascitum & bubulum intestinum esse, quod lacte & sanguine impletum, duobusque extremis renodatum, altero in anum indiderat, stillante per cæca foramina tabo. C

De vteri procidentiam simulãte.

Non ita pridem æque prostituti pudoris mendica Lutetianis pauperum curatoribus se obtulit, rogans, vt in album pauperum stipendiosorum referretur, sibi enim ex laborioso & difficili partu vterum procidisse, itaque non potis esse aliquid operæ facere, vnde victum compararet. Tum illi, eam de more à Chirurgis ei muneri destinatis, probari & examinari iusserunt. Hi re tota eius lustrata & cognita, fraudem subesse renuntiarunt. Vesicam namque bubulam inspirato flatu semiplenam, & turpi sanguinem vteri solita & humida eluuie differta & turgente spongiola, bubulam vesicam propendentem stabiliri sic, vt sine prolapsionis metu facilis mendicæ incessus esset, nec nisi summa vi reuelli posset. Ob hæc vaframenta in carcere m conjecta est, & loris ante à carnifice operta, in exilium relegata. Haud liuic absimilis est eorum techna, qui scite appositio inguini ventre ouillo, hernioso se simulant.

De mendica anguem ventre concluso simulante.

Anno Domini 1561. Lutetiam appulit virago Normana carnosa, succulenta, & egregie opima, sed re trigenaria, ostiatim hæc victum quæritans, lubenter optimates mulieres conueniebat, infortunium his suum enarrans perquam familiariter, & flebiliter: dictitans, sibi in aluo anguem esse, qui per os irrepsisset, dum in segete canabina forte obdormiuisset. Hunc se perenni iactatione vibrantem, tactu exorandum, manu abdomini admota singulis exhibebat: addens hoc etiam, illum interaneorum torminosa arrosione diu noctuque sibi esse infensissimum. Mouebat omnes & in admirationem rapiebat tristis casus nouitas, itaque quod poterant, re & consilio iuuabant. Extitit vna inter cæteras pia benignitate insignis, quæ Hollerio Doctore Medico, Caballo & me Chirurgis aduocatis, quæsiuit. num qua via anguis ille eliminari posset. Hollerius illi valens catharticum exhibuit, sperans futurum, vt irrita excretrice vi, vna cum noxiis humoribus fera latibulo suo depelleretur. Sed spes illa euentum non habuit. Itaque cum rursum conuenissemus, visum est, vt intromisso in vteri ceruicem speculo, specularemur, nũquid eius caudam aut caput oculis assequi possemus. Sed facta per me ampla vteri dilatatione, nihil tale intueri licuit. Tantum animaduertimus voluntarium quendam motum, cuius ipsa mendica sibi author erat, contractis & dilatatis epigastrii musculis. Quod cum notassemus, fraude & impostura perspecta, visum est, quo illam perterrefaceremus, atque ad profitendam techam compelleremus, edicere, qui non valueramus, id posteriore longe validiore perficeremus. Illa dissimulato metu, sibi doli probe conscia, cum discessissemus, sub vesperam compositis sarcinulis, vnaque aliis, quæ ad se non pertinebant, consertis, clam discessit insalutata hospite, sicque demum fraus bene dissimulata nobilis & probę mulieris dispendio patuit. Mendicam ego illam sex diebus post equo sarcinario viriliter insidentem, & vna cum Pelagiorum piscium abactoribus effuse ridentem, atque, vt credere par est, in patriam redeuntem, cum iam hic eius impostura diuulgata esset, ad Montis Martyrum portam conspexi. D E

Qui se

A Qui se mutos simulant, linguam in os contrahunt & reduplicant. Qui pro epilepticis se iactant, vtrumque carpum manicis sibi ferreis arcte cingi curant, in lutum se mergunt & voluunt, sanguine ferino caput sibi conspergunt & defœdant, artus, totumq; corp⁹ vibrato motu cõcutiunt. Deniq; sapone in os indito spumantem saliuam euomunt, eorum instar, qui epileptico insultu agitantur. Alii glutinum quoddam ex diluta farina conficiunt, quo totum oblinunt corpus, quasi lepra seu sancti Manis morbo incrustarentur. Nec vero nouum esse & hodiernum hoc personatæ mendicitatis & subdolæ impostura mangonium putandum est: Vigebat iam olim in Asia Hippocratis temporibus, quemadmodum ipse meminit *libro de Aere, Locis & Aquis.* Sed quo altius radices egit, & temporum multo decursu magis inueterauit id malum, eo diligentius & studiosius rescindendum est, acribus suppliciis in eius artifices sancitis & irrogatis, quia personata hac mendicitate tanquam desidiæ altrice, & omnis improbitatis officina, quod bonis adimitur, transit ad impios. Vnus vero impius & ingratus miseris omnibus nocet.

Techna epilepticos simulantium.

Techna lepram simulantium.

De his, quæ monstrosa in morbis contigerunt. CAP. XIX.

B NOuissime commemoratis, monstri aliqua species mendicabulorum sutelis ad turpem quęstum assuitur. Sequentibus vero si quid inest monstrifici à natura est: sed cæca & occulris quibusdam modis quasi miraculose agente. Sic certe in morbis etiam sæpe contingunt monstra. Ad sancti Angeli oppidum Franciscus Miles ex turma Capitanei Mureti vulnus in ventre accipit, manuario tormento inflictum, inter vmbilicum & ilia. Haud equidem glans extracta est, quia sedulo vestigantibus Chirurgis reperiri & occurrere non potuit. Qua de causa grauibus & torminosis doloribus conflictatus est: donec nono demum post vulnus die, glandem per anum excreuit. Itaque intra tres dehinc hebdomadas plane conualuit. Curabat illum Simon Crineus Chirurgus turmarum gallicarum.

In morbis etiam contingere monstra.

Glans seloto ventrem exclusa & tandem per anum reddita.

Ioannes Papa sancti Albani in Delphinatu dominus, in conflictu ad Casenium, tria manuario tormento in corpus penetrantia vulnera tulit, quorum vnum sub larynge, qua parte velut nodo protuberat iuxta pulmonis fistulam ad vsque vertebrarum ceruicis initia penetrabat, quo loco hæsit, adhucque hæret glans plumbea. Hinc multa & horrenda hominem corripuere symptomata, vt febris & ingens colli totius tumor: adeo vt totos decem dies nihil nisi iuscula & liquida deglutire potuerit. Conualuit tamen hodieque etiam valet cura Iacobi Alanii Chirurgi.

Glans plumbea per laryngem ad vsq; primã ceruicu vertebram intrusa & harens incolumi ægro.

C Meminit Alexander Benedictus rustici cuiusdam, cui missili telo dorsum transuerberatum cum fuisset, hastili extracto ferrum intus restitit, duos transuersos digitos longum, & hamulis consertum, lateribusque horridum. Cum id Chirurgus anxie & solerter quæuisset, comprehendere nunquam potuit, itaq; vulnus occlusit. Sed secundo mense post ferrum id quamlibet hamulatum per anum prodiit.

Lib. 3. anat. cap. 9.

Narrat idem, Venetiis virginem acum deglutiuisse, quam biennio post cum vrina reddidit, calculosa materia circum viscosos humores collecta, & coagmentata obductam. Margareta Perlana Guillelmi Guerrerii pannarii mercatoris Lutetiæ ad Iudæorum vicum commorantis vxor, dum rus equo veheretur, acus ex subiecto forte aciculario in dextram natem se ita alte intrusit, vt nulla arte, nulla vi reuelli inde potuerit: Quadrimestri post misit ad me, qui se inuiserem, coramque narrauit, se quoties in mariti amplexus veniret, extremos & pungentes dolores in dextro inguine pati, admota manu, dum locum tractarem, occurrit digitis asperum quid & durum: Itaque sic egi, vt acum inde plane iam rubiginosum extraxerim. Miraculo apponi hoc debet, quod chalybs natura sua grauis sursum à nate ad inguen conscenderit, & femoris musculos nullo absceſſu genito penetrauerit.

Ferrum hamulatum dorso intrusum & per anum postea redditum.

Acus deglutita & cum vrina excreta.

Anno Domini 1566. Laurentii Collo duo liberi calculorum extrahendorum artifices experientissimi calculum extraxerunt, nucis iuglandis crassitie, in quo medio acus ei plane, quo sutores suere solent, similis depacta visebatur. Calculoso nomen erat Petrus Coquinus via Galandea ad plateam Mallebertinam, puto illum adhuc superstitem viuere. Carolo nono Regi propter rei monstrificæ nouitatem calculus ille me præsente oblatus est, quem mihi à Chirurgis illis dono datum diligenter in secretioribus capsulis asseruo. D

Acus pernatem intrusa & inguine tandem reddita.

Acus in calculo e vesicæ extracta depacta.

Anno Domini 1570. Ducissa Ferrariensis Lutetia Montem-argiuum acciuit Ioannem Collo, qui calculum è vesica pistori dulciario extraheret. Calculus ille etsi pugni crassitiem haberet, nouemque vncias penderet, fœlicissime tamen incolumi ægro reuulsus fuit. Francisco Rossetto & Iosepho Iauello Ducissæ medicis experientissimis & doctissimis præsentibus. Non multum tamen temporis post pistor ille interiit ex vrinæ suppressione, per obstructionem ab exiguis duobus aliis calculis, qui è renibus in vesicam descensuri, in media vretherum via substiterant.

Calculi extracti figura fuit eiusmodi.

Calculi dulciario pistori extracti figura.



An.natiu. Anno Domini 1566 Laurentius Collo filius, cuidam, Marlium comoranti, mentulæ tractor ex eo cognominato, quod ab ætatis suæ anno decimo, calculo iam obnoxius, pudendū assidue scalperet, calculos tres è vesica extraxit, singulos oui gallinacei crassitie, omnes colore albos, & simul duodecim vncias pendentes, Regi Carolo tum ad Sancti Mauri à fossis fanum degenti, cum oblati essent, vnum malleolo confregit, in eoque medio alius inuentus est colore castaneo, cæteraque nuci mali persici similis. Tres illos calculos mihi à Chirurgis illis fratribus dono datos hic ad viuum appingendos curaui.

Calculorum trium commemoratorum, quorum vnum confractum cernitur effigies.



Multos ego mortuorum dissectis cadaueribus variæ formæ ac figuræ calculos, vt nefrendum, catulorum & similium adnotaui. Narrat Dalechampius, visum sibi hominem, qui per lumborum abscessum, qui in fistulam degenerauerat, multos è renibus calculos excerneret, nihiloque minus in equo & curru vehi facile ferret. Mulieri diris torminum & dolorum alui & ani cruciatibus exercitatæ Ioannes Magnus Medicus Regius doctissimus & experientissimus medicinam cum faceret, accersiuit me, vt indito in anum speculo, specularetur, num quæ tanti, tamque pertinacis doloris causa subesset aspectabilis. Cum nihil intuitus esset oculis, vnde in causæ dolorificæ cognitionem duceretur, rationem

Calculus & catharticorum ano exceptus.

Arationem ducem secutus crebro clystere indito, & catharticis propinatis ita egit, vt tandem calculum ægra excerneret, pilæ palmariæ crassitie: quo excreto dolores omnes quieuere.

Famula Dyseridis, vt narrat Hippocrates, in Larissa cum iuuencula esset, vbi venere vtererur, fortiter circum circa dolebat, alias autem sine dolore erat, concepit autem nunquam. Et cum sexaginta esset annorum, dolebat à meridie, velut ex partu laboraret. Hæc cum ante meridiem porrum edisset multum, postquam ipsam dolor corripuit vehementissimus & priores omnes excedens, exurgens asperum quiddam in ore vteri deprehendit. Postea cum ipsa in animi deliquium incideret, alia mulier immissa manu, expressit lapidem asperum magnitudine verticilli fusi, & sana tunc statim & postea erat. *5. epid.*

Calculus vteri cerusice redditus.

In muliere, quæ vt narrat Hollerius, quatuor mensium spatio, incredibili vrinæ cruciatu laborauerat, duo calculi reperti in corde sunt, cum multis abscessibus, integris renibus & vesica. *Lib. 1. cap. de palpit. cord.*

Anno Domini 1558. Ioanni Bourlierio sutori vestium in sancti Honorati vico aquosum in genu abscessum aperui, in quo calculum reperi, album, durum & leuem, amygdalæ crassitiei, quo extracto conualuit. *Nullam cor poris partem esse in qua calculi concrescere nequeant.*

Antonius Beniueni⁹ Medicus Florentinus scribit, mulierem quandam acum æream sine vllo dolore deuorasse, indeque annum integrum indolentem exegisse: sed hoc exacto ingentes dolores ventrem adorti sunt: quos vt sedaret, Medicos quoscunque potuit, consuluit, nulla interim deuoratæ acus mentione facta. Itaque nihil illi opis etsi infinita remedia tentarentur, allatum est, integrumque biennium in doloribus exegit, donec tandem per exiguum ad vmbilicum foramen prodiit acus, tumque sibi restituta est. B

Acus deglutita & biennio post vmbilico reddita.

Studiosus adolescens Chambellanus Biturix in Prælæo collegio graminis ramulum deglutiuit, qui postea integer per intercostale spatium magno cum adolescentis vitæ periculo erupit. Non potuit eo penetrare, nisi ante pulmonum, succingentis membranæ, & intercostalium musculorum pertusa & perrupta substantia, superstes tamen euasit adolescens medicinam ei Fernelio & Huguetio facientibus. Cabrolius Polemarchi Danuilani Chirurgus, narrabat mihi nuper Franciscum Guillemetum Someriæ, octo à Monspessulo miliaribus Chirurgum, curasse & sanasse pastorem quendam, quem deglutire gladium semipedem longum, cum corneo manubrio pollicari crassitie, obuii prædones coegerant. Eū semestre integrum magnis tamen cum doloribus in dies macrescens, ac tantum non tabescens contiC nuit, donec tandem abscessu sub inguine cum magna puris valde fœtidi copia oborto, præsentibus iusticiæ custodibus erupit & extractus est, depositusque apud Iobertum Medicum Monspessulanum.

Graminis ramulus deglutitus & integer per intercostale spatium reditus.

Gladius deuoratus oborto sub inguine abscessu erupit.

Principi Rohano erat Morio, Guido nomine, deglutiuit ille aliquando ensis mucronem tres digitos longum, duodecimoque post die per anum, quanquam ægerrime reddidit: viuunt adhuc nobiles multi Britones, huius rei oculati testes.

Ensis mucro deglutius & ano redditus.

Visæ sunt grauidæ non paucæ mulieres, quæ fœtum in vtero mortuum frustatim sic excreuerunt, vt ossa, rupto ad vmbilicum exitu, manarent: carnes vero, velut in pus colliquatæ, per vteri cervicem & anum diffluerent, superstitibus matribus, quemadmodum ex Albucasi notat Dalechampius.

Mirę fœtuum ab vtero exeretiones.

Nonne vero monstri simile est, extitisse mulieres, quæ hysterica suffocatione correptæ, triduum totum sine motu, sine respiratione, pulsusque, quod equidem appareret, iacuerint, pro mortuis per errorem elatæ.

Hysterica pro mortuis elatæ.

Adolescens quidam, vt prodit Fernelius, à paulo vehementiore exercitatione, cum acerba tussi nullo puncto temporis intermisso torqueretur, vomicam integram columbini oui magnitudine excreauit, in qua aperta pus exquisite album & æquale deprehensum est. Cruenta excreatio integrum biduū perstitit magna febre, magnaque corporis perturbatione. At nihilominus seruatus is est atque sanitati restitutus. D

Expectorata vomica ouo columbini magnitudine.

Anno Domini 1578. Stephana Chartieria sancti Mauri à fossis incola, vidua quadragenaria, febre tertiana laborans, paroxysmi initio magnam vim euomuit humoris bilioši, vnaque villosos tres vermes figura, colore & magnitudine erucis similes, subatriores tamen, qui inde integros octo dies vixerunt sine vllo alimento: hos pagi illius Chirurgus ad Milotum Doctorem medicum detulit, qui ipsorum copiam Feureo, Crasso, Marescotio & Cortino Medicis mihique fecit.

Vermes febrili excluši paroxysmo.

Quod sequitur ex Monstreleti chronicis, omnem superat admirationem. Immunis quidam sagittarius, ex Medono quatuor à Lutetia miliaribus, propter latrocinia damnatus erat rei capitalis. Interim à Medicis Regi renuntiatum est, multos ea tempestate calculosis torminibus Lutetiæ diuexari, & præ cæteris Bosci Dominum: è re & salute multorum futurum, si partes ipsas, in quibus tam dirum morbi genus concresceret, oculis lustrare & contemplari daretur. Longe id melius in viuo homine, quam in mortui cadauere perspici. Experiri id licere in sagittarii immunis morti additi, & olim his malis discruciari soliti corpore. Impetratum à Rege est: itaque recluso corpore spirantes partes contemplati & ex voto rimati sunt Medici, hisque diligenter & exacte consultis ac suo loco restitutis, iussu Regis consutum corpus est, qua reclusum fuerat, & summo studio adhibito curatum. Ita factum est, vt sagittarius ille intra paucos dies conualuerit, culpæque venia impetrata, grandi insuper pecunia donatus. E

Superat hac narratio nō omnem modo admirationē sed & fidem.

Pract. li. 64. cap. 1.

Narrat Alexander, visam sibi mulierem nomine Victoriam, quæ prolapsis omnibus dentibus cū calua euasisset, alios demum in amissorum locum succrescentes recuperauit anno ætatis octogesimo.

Renati dentes anno ætatis octogesimo.

Stephanus Tessierus Chirurgus Aurelianensis narrauit mihi, non ita pridem, curasse se Carolum Veriguellum apparitorem Aurelianensem ex vulnere in poplite accepto, quo duo tendines poplitem flectentes penitus resciši erant. Curationis vero hanc rationem iniuisse. Iussisse scilicet ægro, vt crus flecte-

flecteret, tum rescissorum tendinum extrema extremis oppositis assuisse, inde membrum eo situ collocasse, & ea arte tractasse, vt vulnus tandem ad cicatricem perduxerit, ægro nullatenus claudicante, facinus profecto memorabile, & tyroni Chirurgo cautè imitandum. A

Quam multos ipsi vidimus, qui ense, telo, glande manuario tormento elisa, traiecto corpore, qui ex capitis vulnere cerebri portione abscissa, qui brachio aut crure toto globo murali canna excusso abreptis, superstites conualuere? quam multos contra, qui ex minimis & leuissimis vulneribus interiere.

Epid. *Quidam iuxta inguem sagitta percussus, quem nos ipsi vidimus*, prodit Hippocrates, *maxime præter omnium opinionem seruatus est: neque enim cuspis exempta est; erat enim valde in profundo; neq; sanguinis eruptio vlla fiebat memorabilis, neque inflammatio, neque claudicauit. Cæterum cuspidem inuenimus nos, ipsamque eximimus, cum iam sex essent anni, ex quo sauciatus erat.* Nec vero tam longæ moræ aliam ille reddit Hippocrates rationem, nisi quod, inquit, suspicio erat, inter medios neruos cuspidem occultatam fuisse, nullamque venam aut arteriam dissectam esse.

De mirabili quorundam animalium ortu. CAP. XX.

In historiis prodigiosis. Ex cadauere humano vulgare esse serpentes nasci. PRoditum apud Boistæum legimus, Auenionensem quendam opificem, quo tempore ipse in ea vrbe habitabat, feretrum plumbeum, in quo cadauer erat, fideliter vndique ferruminatum, sic, vt ne aer quidem subire posset, recluisse; dumque recluderet, à serpente intus concluso demorsum, lethali & venenato adeo morsu, vt parum abfuerit, quin moreretur: non est tamen tam prodigiosus huius animalis ortus, quam ille putat, vulgare enim est, ex putrente quouis cadauere, præsertim vero humano, serpentem nasci. B

Serpens viuus Giuensque in solido marmore. Scribit Baptista Leo, Martini Quinti summi Pontificis temporibus, in vasto sed solido marmore, inuentum fuisse serpentem viuum inclusum, nulla in tam densa soliditate apparente rimula, qua aerem ducere viuum id animal posset.

Causa tam mirę animalium in solidis marmoribus generationis. Dum in vinea mea, quæ ad Medonum est pagum, diffringenda curarem vegrandia quædam saxa, in vnius medio buffo compertus est: Cum ego id magnopere mirarer, quod nullum extaret spatiũ, in quo id animal gigni, augeri, & viuere posset, vt desinerem mirari, monuit lapicida: peruulgare enim, & plusquam quotidianum id esse. Fieri certe potest, vt ex lapidum subterraneis & vdis locis inclusorũ, humidiore portione per putredinem diffluente, & à cœlesti calore se per vniuersam mundi molem miscente ac diffundente, animata suppetat materia eiusmodi animalium generationi. C

De marinorum aliorumque animantium mirabili natura. CAP. XXI.

Raritas quandam habet monstri speciem. ATque hæc ortu, vel incremento potius mirabilia sunt animantia: quæ vero sequuntur, etsi ex sese mirabilia non sint, vt quę natura propria & sua constent, eademque bene & ordinario modo agente: nobis tamen mira sunt, vel etiam monstrosa, quod non admodum nobis familiaria sint, & frequentia. Nam & ipsa raritas, & corporum vastitas monstrifica quodammodo est. Huius generis multa, præsertim in mari, cuius penitiores recessus homini peruii non sunt, existunt: vt Tritones, qui à pube susum versus humana & Virili effigie perhibentur. Et Sirenes seu Nereides (quæ Plinio authore) muliebri facie, squamis modo hispido corpore sunt, etiam qua humanam effigiem habent, neque tamen monstrifica ante dicta seminum confusio & coniunctio, hic locum habet: quandoquidem, vt nuper dicebamus, sua natura constant & propria.

Lib 9. cap. 5.

Mena, quo tempore Præfectus Ægyptum regeret, & ad Nili ripam deambularet, prodeuntem, vidit ab aquis marinum hominem, humana plane ad pubem vsque effigie, facie ad grauitatem composita, cæsarie flaua, canis tamen aliquot pilis obsita, stomacho osseo, brachiis vero scite distinctis & dearticulatis: cętera in pisce desinebat. Triduo post sub aurorã monstrum aliud marinũ apparuit, sed muliebri vultu, quemadmodum facie lineamentorum mollities, promissus capillus, tumentesque mammæ satis indicabant, vtrumque id monstrum tamdiu aquis eminuit: vt cuilibet pro arbitrio contemplari liceret. D

Tritonis & Sirenis Niliacorum effigies.



E

Nostra

A Nostra ætate, inquit Rondeletius, in Nortuegia, captum est mari procelloso monstrum, cui, quotquot viderunt, Monachi nomen statim imposuerunt, propter hanc eius, quam cernere erat, effigiem.

Pisces monachi habitu effigies.

B



C

Anno Domini 1531. visum est monstrum marinum, episcopi habitu squamis obtectum, id descripserunt Rondeletius & Gesnerus.

Pisces episcopi habitu effigies.

D



E

Ab Hieronymo Cardano accepisse se monstrum hoc, quod capite esset vrsino, brachiis, manibus- A
que simiæ, profitetur Gesnerus.

Capite vrsino monstri marini effigies.



Non diu ante obitum Pontificis Pauli tertii, in medio mari Tyrrheno captum fuit id monstrum, & B
Lib. 5. chron. Pauli successori oblatum, figura & magnitudine plane Leonina erat, sed corpore squamoso, voce m humanæ similem sonabat. Deductum Romam est magna cum omnium admiratione, sed illic haud diu vixit, proprio naturalique loco & alimento destitutum, quemadmodum à Philippo Foresto proditum est.

Piscis Leonini & squamosi effigies.



C

Anno Domini 1523. tertio Nouembris, visum est Romæ marinum hoc monstrum, magnitudine pueri quinquennis, humana ad vmbilicum vsque, auribus exceptis, effigie, reliqua vero piscis.

Monstri marini humana facie effigies.



D

Monstri huius marini meminit Gesnerus, eiusq; imaginem à pictore, qui id Antuerpiæ viuum viderat, accepisse se prodit. Caput furiale plane quid præ se fert, cornu duplici insigne, & auribus prominentibus, brachiis homini haud absimilibus, cætera piscis est. Captum est in mari Illyrico, dum ab a- E
quis in littus puerulum illic existentem abrepturũ, emersissent, coniectis enim à piscatoribus, qui ipsum obseruabant, lapidibus, læsum paulo post in littus vnde aufugerat, regressum, expirauit.

Dæmonis

A *Dæmonis marini effigies.*



B

Monstrum marinum capite, crinibus, & pectore equino, reliquo corpore piscis, visum in mari Oceano & Romam allatum, summoque Pontifici oblatum prodit Gesnerus.

Monstri marini effigies.



C

Prodit Olaus Magnus, sibi vitulino capite & facie monstrum ad littus Bergæ, cuius incola est, captum, dono datum fuisse à nobili quodam Anglo. Simile huic nuper Carolo IX. Regi oblatum est: nutritum in viuario Fontis-bellæ aquę diu vixit, ex aquis sæpe in terram progrediens. Alius est hic piscis à vitulo marino vulgari.

Vituli marini monstrosi effigies.



D

In mari Oceano visum est ingens id monstrum, capite apri, caninis dentibus longioribus in- I
cidentibus & acutis squamis miro ordine à natura distinctis obiectum, vt in hac imagine intueri, licet.

Apri

Apri marini effigies.

A



B

Marinum id monſtrum captum ad Thylem inſulam Septentrionalem ſcribit Olaus Magnus Anno Domini 1538. magnitudine fere incredibili: vt quod duorum & ſeptuaginta pedum longitudinem haberet, altitudinem vero quatuordecim, ſeptem pedum inter oculos interſtitium, iecur vero adeo vaſtum, vt eo quinque dolia impleta fuerint, caput ſuillum, creſcentem velut in ſummo dorſo lunam, ternos in ſingulorum laterum medio oculos, totum corpus ſquamoſum.

Suis marinæ monſtroſæ effigies.



C

Elephas marinus terreſtri maior.

Veternoſus elephantis marini ſomnus.

Elephas marinus, elephante terreſtri maior eſt, quemadmodum ſcribit Hector Boetius *in deſcriptione Scotiæ*, amphibium animal eſt, dentes duos habens elephantis ſimiles, quibus quoties ſomnum inire vult, ad rupes ſe infixu tenaci ſuſpendit, tumque adeo alte dormit, vt nautis id ex alto conſpicientibus otium ſit appellere ad littus, circumiectiſque craſſioribus funibus ipſum conſtringere. Sed cum ne ſic quidem excitetur lapidibus coniectis impetunt, magnum ſtrepitum cient, quibus expergefactus conatur in mare magno & ſolito impetu reſilire, ſed vinctum cum intuetur, adeo manſueſcit, vt tractandum ſe ad arbitrium præbeat. Tum igitur ipſum mactant, adipem eliciunt, detractumq; corium in corrigias diuidunt, quæ quia validæ ſunt, & nunquam putreſcunt, magno in prætio habentur.

D

Elephantis marini effigies.



E

Orobo.

Arabes Mazouanii montis, qui ſecundum mare rubrum porrigitur, incolæ, Orobone fere piſce nutriuntur, is reliquis piſcibus terribilis & valde ferus eſt, nouem aut decem pedes longus, latus vero pro longitudinis ratione, ſquamis Crocodili inſtar integitur.

Effigies

Effigies Orobonis.

A



B

Crocodilus.

Crocodilus vaſtum animal eſt, quindecim cubitos longum, cumque haud viuiparum, ſed ouiparum ſit, oua, quod ſummum eſt, ponere ſolet ſexaginta, anſerinis non maiora, ex tantulo principio ad tantam prouectum magnitudinem (excluſus enim fœtus ouo genitali proportionatus eſt) viuax valde eſt. Linguam adeo conſtrictam & impeditam habet, vt nullam habere videatur. Itaque amphibium cum ſit, quatenus in terra viuit, ea illi pars pro lingua cenſetur: quatenus vero vitæ etiam partem in aquis exigit, linguæ vſum cum non habeat, haud pro lingua numeratur. *Piſces enim vel lingua penitus carent, vel eam ſic impeditam & conſtrictam habent, vt nullo ſit vſui.* Solus inter reliqua Crocodilus maxillam ſuperiorem mouet, inferiore immota. Pedes enim ipſi neque ad præhendendum, neque ad retinendum vſui ſunt. Oculos habet Suum oculis haud abſimiles, dentes longos & ab ore exertos, vngues acutiſſimos, corium adeo durum, vt ipſum nulla telli vis tranſmittere poſſit. Ex Crocodilo terreſtri, huic amphibio ſimili, medicinam parant Crocodileam, oculorum vitiis vtiliſſimam cum porri ſucco inunctis, & contra ſuffuſiones vel caligines; lentigines, tollit, & varos omneſque maculas, fel eius oculis inunctum ad cataractas valet, ſanguis vero vſum illuſtrat. Incolas eſſe fontium Nili Crocodilos, vel potius lacus cuiuſdam ex eiuſmodi fontibus manantis, prodit Theuetus: viſoſque ſibi, qui ſex paſſus longi eſſent, tres vero pedes dorſum lati; adeo, vt ſolo eſſent aſpectu horribiles. Hac arte capiuntur. Cum Nili aqua ſubſidet, funem Ægyptii demittunt, ex fune religatus pendet hamus ferreus craſſior & latior trium librarum pondere, affigitur hamo camelinæ aut alterius cuiuſuis carnis fruſtum: quo viſo irruit in prædam fera, vnaque hamum cum illecebra deuorat, quo cum ſe atrocius vellicari & pungi ſentit, iuuat intueri, quantopere ſe iactet, & in altum ſubſiliat: tum ipſam irretitam ſenſim ad littus pertrahunt, funemque ad vicinam arborem deligant ſtrictius, ne in circumſtantes irruat. Tum multis vectium ictibus ventrem, qua parte mollis, omninoque tenuis Crocodilo ſubeſt cutis, impe-

D tunt, opprimuntque. Detracto corio carnes ſuauiſſimas & eſui futuras, menſæ apponunt. Ioannes Lereus in Breſilana hiſtoria ſcribit, Sylueſtres eius regionis homines Crocodilos lubenter eſitare, vidiſſeque qui Crocodilorum fœtus viuos in ædes ſuas deferrent, cum quibus pueri congregati innoxie colluderent.

Solum crocodilum maxillam ſuperiorem mouere.

Expende diligenter Plinii locum lib. 28. ca. 9.

Coſmograp. Tom 1. li. 2. cap. 8.

Qua arte capiantur crocodili.

Cap. 20.

Effigies

E

Effigies Crocodili.

A



B

Lib 9. ca. 2.

Vera est vulgi opinio, inquit Plinius. *Quicquid nascatur in parte naturæ vlla, & in mari esse: præterque multa, quæ nusquam alibi.* Rerum quidem, non solum animalium simulachra esse, licet intelligere, intuentibus gladium, serras, cucumin terrestri odore & colore similem, quominus iam mirer pennam & vuam, quorum imagines ex Rondeletio in hunc locum transtuli. Penna quidem marina pennæ auium, quæ ornamenti gratia galeris, postquam arte comptum & fucum recepit, affigitur, similis est. A piscatoribus Penis pennatus dicitur, quod altero extremo suo, extremam penis virilis glandem præputio denudatam repræsentat. Quandiu viuit, intumescit, fitque ex interuallis solito maior: emortua flaccescit penitus, Lucet autem micatque noctu, stellæ instar.

C

Vuam vero cuius meminit Plinius, hanc esse, quam hic exprimimus, ex eo est intelligere, quod superficie sua & facie vuam seu botrum florentem valde refert. Oblonga est clauæ informis modo, pēdetque ex oblongo pediculo. Internis partibus nihil nisi confusio est, glandulis nonnunquam distincta his similibus, quas hic seorsim appinximus.

Pennæ & Vuæ marinæ imago.



D

In mari insulæ Hispanicæ noui orbis, plures cernuntur monstrosi pisces, inter quos Theuetus in Cosmographia, hunc tanquam rarissimum notandum duxit, qui patria lingua Aloes dicitur. Anseri enim plane similis est, collo procero & erecto, capite in acumen & conum desinente, pyro pancrestano non absimili, corpore haud maiore est, quam anser, squamis caret, pinnas quatuor, nándi gratia sub ventre habet, cum aquis eminet, anserem natantem diceres.

E

Aloes monstrosi piscis Effigies.

A



B

Mare Sarmaticum, seu Germanicum Orientale, pisces alit calidis regionibus ignotos & valde monstrosos. Eiusmodi est is, qui limaci similis, dolium corporis mole æquat, arboreis autem cornibus ceruum, extrema cornua in orbiculos rotundantur, vnionum instar splendentes: ceruice est crassa, oculis accensæ candelæ modo micantibns, naso obrotundo, & pilis felium ad instar obuestito, rictu oris magno, sub quo pendet, prominetque carnea moles, aspectu subhorrida. Quatuor nititur cruribus, totidem latis & aduncis palmis, quæ illi cum cauda oblonga, & tigridis instar variegata, pinnarum ad natandum loco est. Meticulosum adeo hoc animal est, vt etsi amphibium sit, alto tamen se fere mari contineat, nec nisi sereno valde cœlo ad littus applicet pascendi gratia. Caro enim valde grata est esui, sanguis vero his medicatus, quibus vel hepar vitiatum est, vel pulmones vlcerati, vt est magnarum testudinum sanguis elephanticis, Id in Dania se vidisse asserit Theuetus in Cosmographia.

C

Magnarum testudinum sanguis elephanticis medicina. Tom. 2. li. 20.

Effigies limacis Sarmatici.



D

In alto lacu dulci, cui imposita est, & Venetiarum instar palis subnixa, Mexici regni metropolis Themistitana vrbs, visitur pisces vituli magnitudine, Sylvestribus Antarcticis dictus Andura. Incolis autem & Hispanis, qui eam regionem armis occuparunt Hoga. Capite est & auriculis fere suillis, ex maxillis pendent cirrhi quinque & velut barbatæ appendices semipedem longæ mulli barbatuli gemnæ barbæ similes. Carnem esui valde gratam & vtilem habet. Viuiparum est, Balænæ instar. Dum in alubentius versatur, illicque vescitur foliis arboris Hoga dictæ, vnde & nomen piscis habuit. Valde denquis natitat, viridis, flauus, ruber, omninoque Chameleontis instar versicolor apparet. In lacus littore tatus est & furiosus piscis, reliquos obuios etiam se maiores necans & deuorans: quod causæ est, cur ipsum præsertim piscatores appetant, persequantur, & interficiãt, vt prodit Theuetus in Cosmographia.

E

Hoga piſcis monſtroſus. A



B

Andreas Theuetus in Coſmographia ſcribit, ſibi, dum nouum orbem nauigando obiret, viſos infinitos piſces volantes Syluestribus incolis dictos Bulampech, qui ab aquis ſubſilientes, quinquaginta paſſus volando procedant, dum maiores alios piſces, qui ſe in prædam & eſcam appetunt, fugiunt. Hoc volantis piſcis genus Scombri magnitudinem non excedit, capite rotundo eſt, dorſo cæruleo, alis duabus, quæ totius fere corporis longitudinem æquant, præditum, quas ſub axillis occultat. Tanta ſæpe multitudine conuolant, vt non raro ad nauium vela offendant, dum mutuo ſibi luminibus officiunt, C ſicque in naues decidant vectoribus & incolis eſca futuri. Quod ipſum etiam à Ioanne Lereo confirmatum legimus hiſtoria Breſilana.

Volantium piſcium effigies.



D

In mari Veneto inter Venetias & Rauennam, duobus ſupra Quiozam miliaribus, anno Domini 1550 captus eſt piſcis volans, valde horribilis & monſtroſus, quatuor pedes longus. Capite erat craſſiſſimo, binis oculis ad perpendiculum non è regione poſitis, duabus auribus & ore duplici, roſtro valde E carnoſo & viridi, alis geminis quinque in gula foraminibus, Lampetræ foraminum æmulis, cauda vlnam longa, in cuius ſummo duæ viſebantur alæ exiguæ. Viuum id monſtrum Quiozam allatum eſt, & vrbis primatibus, vt nunquam antea viſum, oblatum.

Monſtroſi

A *Monſtroſi Piſcis volantis effigies.*



B

Tot & tam varia concharum genera in mari reperiuntur, vere vt dici poſſit, naturam, Dei Optimi Maximi ancillam, in earum fabrica ludere. In tanta diuerſitate tria potiſſimum delegi, quæ hic depingerem, quod præcipua ſint admiratione digna. In his latent piſciculi quidam, tanquam limaces in ſua co- C chlea, quos Ariſtoteles Cancellos nominat, communesque fere ſocios cruſtati & teſtati generis piſcium eſſe adſtruit: quippe qui ſpecie, id eſt, natura cruſtata locuſtis ſimiles ſpectentur, naſcique ſeorſim per ſe ſoliti ſint. Quatenus vero teſtas ingrediuntur, illicque viuunt teſtaceis ſimiles ſunt. In his eſt, qui Eremita nuncupatur. Duo longiuſcula habet cornua & minutula, ſub quibus oculi ſunt ſemper prominentes, vt quos intro cæterorum cancrorum more reuocare, & abdere nequeat. Pedes anteriores illi biſulci ſunt, quibus ſe tuetur, & ad os eſcam defert, binis aliis lateri vtrinque hærentibus, & tertio paruo vtitur ad incedendum. Qua ponit fœmina, quæ ex poſtica parte pendentia, tanquam filo traiecta & velut membranulis quibuſdam adiuncta cernuntur. Denique Æliani ſententia, Cancellus nudus naſcitur & ſine teſta: ſed paulo poſt ex multis, quas inanes & vacuas offenderit, idoneam ſibi deligit, cumque magnitudine auctus ea amplius contineri & capi nequit, vel etiam coeundi naturali deſiderio ſtimulatur, migrat in capaciorem & magis conuenientem. Dimicant ſæpe inter ſe cancelli hoſpitii gratia, fortiorque inanem teſtam occupat, aut de ea occupata debiliorem decedere cogit. Eiuſmodi teſta vel Neritæ eſt, vel turbinis, ſæpe etiam paruæ buccinæ, ingreſſusque eam circumfert, ibidem nutritur & augetur, D deinde capaciorem petit, vt ait Ariſtoteles *loco citato*.

4. de hiſtor. ani. cap. 4.

Cancelli Eremita deſcripſio.

Lib. 7. c. 3.

Duabus de cauſis cancelli mutant hoſpitia.

Conchatum inanium, quas Cancelli immigrare ſolent, effigies.



E

Concha, aduena Cancello, seu Bernardo Eremitæ plenæ, effigies. A



Cancelli, seu Bernardi Eremitæ, imago.

Lib. 9. ca. 31. Putant Bernardum hunc Eremitam Cancelli B
eam esse speciem, quæ Pinnoter Plinio dicitur: at reuera
Pinnoter non Cancelli, sed parui Cancri species est. Lon-
ge autem differunt apud Arist. Cancellus & Cancer par-
uus, etsi Plinius confudisse videatur, nam ille nudus cum
sola crusta nascitur, cæterum sine testa. Hanc igitur, cum
natura careat, diligentia quærit in eaque inuenta solus ha-
bitat: at Pinnoter non per se solus, sed in pinnis, nonnulli-
que aliis nascitur, & sedes non mutat, quia Arist. senten-
tia, cum sit de genere paruorum cancrorum, nunquam ac-
crescit, nec in inanibus habitat. *Est autem concharum seu testa-*
rum generis pinna: nascitur in limosis, subiecta semper, nec vnquam
sine comite, quem pinnoterem, seu pinnophylacem ob id nominant,
ait Plin. Hæc profecto ita esse, intelligere clare licet ex his
Athenæi verbis. *Chrysippus Solensis 5. de Honest. & volupt. ait:* C
Pinna & pinnoter operas mutuas præstant, seorsum viuere non pos-
sunt: Pinna ex ostreis est; pinnoter cancer paruus: pinna testam pan-
dit ingredientes pisciculos obseruans; pinnoter adstans si quid subie-
rit, morsu pinnæ significat, quæ demorsa testam claudit, eoque quod
inclusum sit communiter vescuntur. Hæc Athenæus. Ex hac
tanta astutia Plut. etiam scriptis commemorata, pinnoter
Plin. aliquando nominatur, cancer dapis assectator. Sed
quod ab his authoribus cancro paruo tribuitur id à Cic.
squillæ paruæ adscribitur *Pinna vero*, inquit, *duab. grandibus*
patula conchis, cum parua squilla societatem init comparandi cibi.
Itaque cum pisciculi parui in concham hiantem innatauerint, tum
admonita à squilla pinna, morsu comprimit conchas, sic dissimili-
mis bestiolis communiter cibus quæritur. Cæterum pinnam concham esse margaritiferam, Plut. indicasse vi-
detur, opusculo, quo quærit, Terrestribusne, an aquatilibus bestiis maior insit prudentia. D

Pinnoter seu Cancer paruus quid.



Pinna quid.

Lib. 9. ca. 42.

Lib. 3.

Pinna & pinnoteris consortium & consensus Lib. 2. de nat. deor.

Lib. 9. ca. 29. Inter præcipua vero piscium miracula est, qui vocatur Nautilos, ab aliis Pompylos (Polypi species
creditur) supinus in summa æquorum peruenit, ita se paulatim subrigens, vt emissa omni per fistulam
aqua, velut exoneratus sentina, facile nauiget. Postea prima duo brachia retorquens, membranam in-
terilla miræ tenuitatis extendit: qua velificante in aura, cæteris subremigans brachiis, media cauda vt
gubernaculo se regit. Ita vadit alto, liburnicarum ludens imagine: & si quid pauoris interueniat, hausta
se mergens aqua.

Nautili, seu Nautici piscis effigies. E



Quo

A Quo sit hic de Monstris tractatus locupletior, nomine monstri cum Poetis abutentes, inter ma- *Balæna cur in monstris censeatur.*
rina monstra propter monstrosam & admirandam magnitudinem, Balænam recensemus. Est igitur Ba-
læna omnium pelagiorum piscium longe maximus. Plurimum enim bellua hæc sex & triginta cubitos
longa, octo alta, oris scissura ad duodeuiginti pedes porrigitur, dentes in ea nulli, sed horum loco in v-
traque maxilla corneæ sunt laminæ nigræ, sensim in pilos suillis similes desinentes, quę ab ore prodeun-
tes & prominentes, sibi sunt ductorum loco, ne dum cæco & rapido natat impetu, ad rupes & cautes
allidat. Oculi quatuor vlnarum spatio à se distant, foris quidem parui apparentes, intus vero capitis hu-
mani magnitudinem superantes: quamobrem falluntur hi, qui bubulis maiores esse negant. Rostro est
breui. In media vero fronte fistulam habet, qua aerem attrahit & aquarum nimbosam quandam allu- *Balænæ fistula.*
uiem exprimit, vt plerunque etiam alueos, cymbasque nauigantium deprimat. Cum se supra modum
ingurgitauit, clamat vel mugit tam magno & contento sono, vt qui binis Gallicis milliarib. absunt, ex-
audire possint. Pinnas duas maximas in lateribus habet, quibus natat & catulos in metu occultat: in
dorso nullam habet. Cauda situ caudis delphinorum similis est, figura non multum absimilis, quam
cum mouet, ita mare agitat, vt nauiculas submergat & euertat, quas attigerit. Balænam viuiparum esse *Balænam viuum parere & lactare.*
B animal, fœtusque lactare, ex anatomia intelligere licet: mas enim testes & penem habet, fœminæ vero
vterum & mammas. Multis in locis circa Brumam capitur, maximeque in Aquitanico littore ad oppi-
dulum, quod vernacula lingua Biarris dicitur, à Baiona sex distans milliaribus: in quod, à Carolo nono
Rege dum Baionæ essem missus, qui ex morbo iacentem illic principem à Rupe-furionensi curarem,
qua arte capiantur, oculis iudicibus assecutus sum, simulque confirmaui, quod in eam rem legeram in
Rondeletii nobilissima & verissima de Piscibus historia. Ergo ad id oppidulum monticulus est, in cuius
vertice turris ab omni seculorum memoria exædificata cernitur, ex qua tanquam è specula noctu, diu- *Qua solertia capiantur balænæ.*
que explorant, num quæ balæna adnatet. E turre igitur stationarii speculati, vel ex sono horribili audi-
entes adnauigantem balænam, tympanorum & tintinabuli sonitu loci incolas conuocant: quo signo
dato omnes tanquam ad vrbis excidium accurrunt, telis, & omnibus, quæ necessaria sunt, instructi.
Sunt enim eius regionis homines in balænis capiendis admodum solertes & expediti. In singulis igitur
cymbis, ad insequendum vel fugiendum omnium rerum copia instructis, deni collocantur robusti re-
miges, & præterea bellatores multi, qui multa tela longa cuspide hamata, in belluam coniiciunt: qui-
bus infixis, & altius inhærentibus, funes longissimos telis annexos relaxant, vsque dum vitam cum san-
C guine fuderit, tum vna cum funibus balænam multo iam cursu & labore fatigatam, vulnerumque ma-
gnitudine & multitudine fractam in littus, quo inter pugnandum studiose semper adigitur & compel-
litur, retrahunt adiuti maris vndis: prædam partiuntur læti, cuius pars vnicuique cedit pro telorum
coniectorum copia, vulneris magnitudine, partisque vulneratæ ad vitam necessitate & præstantia: cu-
iusque autem tela propriis insculptis notis internoscuntur. Dum ardet conflictus, multi in nauigiis ad-
stant, ad hoc tantum constituti, vt bellatores, qui forte in mare prociderint, excipiant, ne demergantur.
Mares difficilius capiuntur, fœminæ facilius, maxime si fœtus sequantur: cum enim in his protegendis *Balænæ fœminæ cur facilius capiantur, quam mas.*
immorantur, fugiendi occasio perit. Caro nullo in pretio est, lingua sola commendatur: nam cum ma-
xima sit, & laxa admodum substantia, sale conditur, & à plerisque nobilibus maximis habetur in deli-
ciis. Lardum in multas regiones destribuitur, Carnispriuii tempore cum pisis elixandum & comeden-
dum, quo carnis prohibitæ desiderium heluonibus leniatur. Pinguitudinis maxima copia, ex partibus
cuti subiectis & ex ventre colligitur, quæ liquefacta non concrescit ob partium tenuitatem, eam ad lu- *Balænarum pratentura.*
D cernarum vsus & nauigia inungenda seruant. Ossibus apud Ichthyophagos populos tecta sepiuntur,
nec non horti in Aquitanico littore, Prætenturis; quibus ab ore exertis tanquam ductoribus, sibi præ-
tendit iter, ne ad cautes & rupes offendat (has vulgus falso interdum caudam, interdum costam balænæ
appellant) in tenues assulas exsiccatis ac perpolitis, politiores mulierculæ sua pectoralia, quæ Busta vo-
cant, communire, vestiumque fibras rigidiores ac rotundiores continere, apparitores vero publici vir-
gulas concinnare, & fascium loco gestare solent. Ex vertebris vero multi sedilia sibi comparant.

Captationis, capturæ, & partitionis Balænæ deformatio.

E



In Scaldi fluuio decem ab Antuerpia milliaribus, anno Do. 1577. die 2. Iulii capta est Balænæ hæc, A
Colore erat ex cæruleo nigrante, fistulam in vertice habebat, qua aquam eructabat magna vi. Longitudo eius erat pedum octo & quinquaginta, altitudo autem sexdecim. Cauda quatuordecim pedes lata, ab oculo ad extremum rostrum interuallum sexdecim pedum. Maxilla inferior senum in singulis lateribus pedum erat, vigintiquinque dentibus armata, qui totidem foraminibus, in superiore, dentibus oppositis recurrentes cibos respondeat. Tot dentium longissimus sex pollices non excedebat.

Balænæ naturam dentium negasse.

Monstrosæ Balenæ in Scaldi flumine captæ effigies.



B

C

Lib. 9. ca. 25. & lib. 32. c. 1.

Est paruus admodum piscis, vt narrat Plinius, assuetus petris, Echeneis appellatus, ad summum pedalis: hoc carinis adhærente naues tardius ire creduntur. Vnde Latinis etiam Remoræ nomen ipsi impositum, quod scilicet nauim secundis ventis impulsam, passisque velis per mare currentem Echeneis tanquam voratura ore admoto sistat, inuitisque nautis retineat, perinde, ac si in tranquillo portu quiesceret. Itaque fertur Actiaco marte tenuisse prætoriam nauim Antonii properantis circumire & exhortari suos, donec transiret in aliam, ideoque Cæsariana classis impetu maiore protinus venit. Tenuit & Caii principis ab Astura Antium remigrantis, nec longa fuit moræ illius admiratio, statim causa intellecta, cum è tota classe quinqueremis sola non proficeret: exilientibus protinus, qui id quærerent, circa nauem inuenere adhærentem gubernaculo, ostenderuntque Caio, indignanti hoc fuisse, quod se reuocaret, quadringentorumque remigium obsequio contra se intercederet. Domat igitur mundi rabiem & D
infrænat impetus tantus piscículus, nullo suo labore, non retinendo aut alio modo, quam adhærendo. Certe quocunque id modo fiat, quis ab hoc tenendi nauigia exemplo de vlla potentia naturæ atque effectu in remediis sponte nascentium rerum dubitet? Quin & siue hoc exemplo per se satis esset ex eodem mari torpedo: etiam procul & è longinquo, vel si hasta virgave attingatur, quamuis prævalidos lacertos torpescere, quamlibet ad cursum veloces alligari pedes.

Remora Quinuira.

Torpedinis Qui mira.

De Auium, & quorundam Quadrupedum admirabili natura. CAP. XXII.

Struthiocamelum inter auem & quadrupedem quodammodo ambigere. Ventriculi eius mirè Qui.

QVanquam non in mari modo, sed & in aere ac terra multa sint, quæ naturæ admiranda conditione monstrorum adæquent naturam, vnus Struthiocamelus exemplo erit. Auis est omnium maxima, quanquam partim auem, partim quadrupedem reuera referat, Africæ & Æthiopiæ familiaris: quippe qui vt non quadrupes pennas habeat: at vt non auis sublime non volet: non enim pennas ad volandum commodas gerit, sed pilis similes. Cursus tamen velocitate equum superat. Miraculosa est eius vetriculi in coquendo naturæ vis, vt cui nihil sit indomabile. Oua ponit admirandæ magnitudinis, vt quæ E
etiam in pateras concinnentur. Pennas habet pulcherrimas, vt ex eius effigie intelligere licet.

Stru-

A *Struthiocameli effigies.*



B

Quam vero prodigiosa sit Struthiocameli magnitudo, ex ossium eius magnitudine facile quiuis consequetur. Tres eiusmodi aues in ædibus Polemarchi Retii regio sumptu alebantur: quarum vnam (cum forte interiisset) mihi dono datam in sceleton diligentia summa paraui.

A. caput igitur eius gruis capite paulo crassius erat, palmi longitudine, à vertice ad rostrum vsq; planum, rostro fisso ad mediam vsque oculi regionem, in sui extremitate obrotundo.

b. Ceruix tres pedes longa, septemdecim vertebris coagmentata, quarum singulæ singulis lateribus donatæ sunt, apophysi transuersa deorsum spectante pollicari longitudine, si primam & secundam capiti proximas exceperis, vt quæ his careant, ginglimo coniunctæ.

c. Dorsum pedali est longitudine, septem vertebris connexum.

d. Os sacrum bipedali est longitudine, in cuius summo apophysis visitur transuersa, cui magnum subiacet foramen.

e. Quod tria alia sequuntur, sed minora.

f. g. h. Post quæ sequitur acetabulum seu pyxis, in quam caput ossis femoris excipitur & conditur. Id parte externa & laterali profert os perforatum, litera I. notatum. Perforatum, inquam, sui initio: mox enim vnitur, qua litera K. subest. Inde bifurcatur, in duoque alia ossa finditur, quorum vnum alio maius est. Minus litera L. notatur. Ambo qua litera m. affixa est, vniuntur, singula semipedem & quatuor digitos longa. Cæterum ei parti, vnde primum bifurcari incipiunt, & ei, in quam concursu facto vniuntur, medium interiacet foramen quatuor digitos latum. Longius vero palmo, vt litera n. notatur, quod ossis illius restat, falcis vinitoriæ instar habet, latum tres transuersos digitos, longum vero sex pollices. C
Ad extremum, vbi litera O. subest, Synchondrosi subiungitur.

P. Coccyx nouem vertebris, humanis similibus coagmentatur. Femoris ossa duo sunt, quorum quod litera Q. notatur, pedali est longitudine, crassitie vero, quæ equini femoris crassitiem æquet. Alterum ipsi subiectum (quod forte os cruris seu tibiæ possis dicere) litera R. notatum, sesquipedem longum est: coniunctam habet fibulam seu focile minus, eiusdem longitudinis, sed quod tantum gracilescat, quantum deorsum procedit.

S. Tibia est, cui pes adhæret, sesquipedem longa, in duas ad extremum vngulas fissa, maiorem vnam, & minorem alteram, quarum singulæ tribus constant ossibus.

T. Octo costæ sunt, quæ in sternum inseruntur. Earum tres mediæ osseam productionem habent, vneo similem.

V. Sternum est vnico osse pedali constans, scutulatam clypeum repræsentans. Huic aliud os adiungitur, quod tribus primis costis supertensum clauiculæ loco est.

X. Primum alæ os, quod sesquipedale est.

Y. Duo hinc subiecta ossa, radii & cubiti æmula, quibus alia sex subsunt ossa extremam alam litera Z. notatam constituentia. Totum id animal osseum, septem pedes longum est, totidemque & amplius à pedibus ad rostrum procedendo altum. Multa sunt alia in illius conformatione notatu digna, D
sed quæ breuitatis gratia censui omittenda.

E

Ossei Struthiocameli delineatio.

A



B

C

Manucodiata descriptio.

Hieronymus Cardanus *libro de Subtilitate* scribit, in Moluccarum insulis videri in terra iacentem, aut in aquis sublatam auem mortuam, Manucodiatam nomine, id est, Hebræorum lingua auem Dei, viuam nunquam conspici. In summo aere habitat, corpore est & rostro hirundinino, variis tamen pennis distincto. Nam quæ summum caput vestiunt, aurei sunt coloris; quæ gulam, anatinis similes existũt, caudæ vero & alarum pauoninis; pedibus caret. Itaq; si quæ obrepat inter volandũ lassitudo, vel somni necessitas, pennis ad arboris ramum obuolutis & obtortis corpus suspendit. Aerem, in quo nempe semper sibi viuæ est agendum, summa pennarum celeritate transmittit, solo aere, soloq; rore hausto viuit. Mas depressam in dorso cauitatem habet, in qua fœmina incubatu oua fouet. Manucodiatam Lutetiæ vidi Carolo nono Regi oblatam.

Manucodiatæ, seu Auis paradisi effigies.

D



Tom.2.lib. 21.cap.12. Touca.

Proditum à Theueto in Cosmographia legimus, visam sibi in nouo orbe auem, patria barbarorum lingua Toucam dictam, hoc maxime nomine monstrosum & deformem, quod rostri sui longitudine & crassitie reliqui corporis superet magnitudinẽ: viuit de pasto pipere, vt apud nos turdi, merulæ, & sturni corimbis hederę, pipere haud minus calidis. Aduexerat ex eâ regione huius generis auem prouincialis quidã nobilis, Carolo nono Regi offerendã, sed in itinere mortuam, viuam offerre nõ potuit. Itaq; illã Polemarchum Retium iussit Rex mihi tradere, qui exenterarem & embammatibus condirẽ, in regiis capsulis asseruandã, q̃ potui, præstiti. Non multo tamen post cõputruit. Corpore, plumaq; coruo similis est, rostro vero subflauo, perlucido, leuissimo, serratim dentato, & ea, quã diximus, longitudine & crassitie. Id apud me habeo velut monstrosum quidpiam.

E

Toucam

A

Toucam aliis effigies.



B

Scribit Theuetus in Zocotera insula frequentem esse feram Hulpalim Cercopitheci Æthiopici magnitudine. Monstrosum valde animal est. Sed nihil monstrosius, quã quod solo aere viuere ereditur, pellis quasi cocco tincta esset, rubet, maculis tamen locis aliquot consperſa & variegata; capite rotundo est globi instar, pedibus rotundis & latis, nociuis vnguibus vacuis. Id mactant Mauri, eiusq; carnem assulis verberatam, quo euadat tenerior, comedere solent. *Tom.1.c.11. lib.4.*

C

Ferę Hulpalim effigies.



D

In Camotæ regno, aliisq; Indiæ interiotis, quæ vltra Gangem est, locis, quinque vltra Tropicum cancri gradibus, visuntur feræ, quas Germani Occidentales Giraffas nominãt. Id animal capite, auriculis, & pedibus bisulcis, non valde nostrati ceruæ dissimilis est. Ceruice est valde gracili, sed hexapodem procera: crurum vero proceritate pauca sunt, quæ ipsum superent, animalia. Cauda rotunda est, sed poplites non excedens: pellis vero mirificis modis pulchra, asperiuscula tamen, & pilo, quam vacca, promissiore; aliquot locis maculata & variegata est, maculis colore medio inter album & castaneum lucentibus, cuiusmodi visuntur Leopardi: quo argumento Græcis quibusdam Historiographis Cameleopardalis dicitur, adeo ferum est antequam capiatur, vt se conspici, quantum in se est, non patiatur. Itaq; in desertis tantum, & reliquis feris ignotis regionis latibulis hospitatur & viuit. Viso homine statim se in fugam tradit, tandem tamen capitur, quia in fuga & cursu non est admodum pernix: captum semel, tam facile & cito cicuratur ac mansuescit, quam vllum aliud feræ genus. Ipsi supra verticem prominent duo cornua recta, pilis circumuestita & pedalia. Cum ceruices, caputque erigit, militarem lanceam altitudine æquat. Herbas depascitur, folia, arborumq; ramalia, imo & pane delectatur. *Theuet.tom. 1.lib.11. ca.13.*

E

Giraffa

Giraffæ effigies.



In mari rubro ſecundum Arabiam nauigantibus, apparet inſula Arabibus Cademota dicta, in cuius ea regione, quam Plata flumen aluit, vlitur fera Barbaris incolis Pyraſſouppi dicta, mulo magnitudine par, capite haud abſimili, hirta tamen, vrſinis velut pilis veſtita, ſed haud adeo obſcuris, verum ad flauum inclinantibus, biſulcis, vt ceruus pedibus, duo procera capite, ſed minime arborea geſtat cornua, vnicornium cornibus illis famatiſſimis affinia. Indigenæ enim, beſtiæ aut piſcis venenati dente demorſi, aqua epota, in qua ſex vel ſeptem dies eiuſmodi cornua demerſa & infuſa fuerint, ſtatim leuantur & conualeſcunt, vt narrat Theuetus *in Coſmographia.*

Pyraſouppi feræ effigies.



In Moluccarum inſularum vna amphibium Crocodoli inſtar viſitur animal, Camphurch dictum, magnitudine ceruum æquat, cornu geſtat in fronte mobile, fere vt criſta Galli Indici, trium pedum & dimidii longitudine, haud vnquam humano brachio craſſius, pilo cinerei coloris ceruix obueſtita ipſi eſt: palmas duas habet anſerinis ſimiles, quibus in aquis dulcibus ſalſiſque ad nandum vtitur. Pedes anteriores ceruinis ſunt affines, piſcibus viuit. Pleriq; ſibi perſuaſerunt, id animal vnicornis ſpeciem eſſe: itaq; eius cornu aduerſum venena eſſe efficacem. Rex inſulæ eius feræ nomine inſigniri gaudet: ſic enim alii reges ferarum, piſcium, aut fructuum tota regione ſua nobiliſſimorum nomen ſibi adoptant, vt narrat Theuetus.

Camphurch

Camphurch feræ Effigies.



Mauritania & Æthiopia, eaq; quę trans deſerta, Syrticasq; ſolitudines eſt Africa Elephãtes gignit, ſed Indici lõge maiores ſunt. Etſi vero corporis magnitudine quadrupeda omnia ſuperent, reliquis tamen magis & expeditius cicurantur. Multa n. ſupra communem brutorum naturam munia obire docẽtur. Corio integuntur bubalino ſimili, pilo raro conſperſo, ſed cinereo, capite craſſo, ceruice breui, auribus duos palmos latis, naſo longiſſimo, & fere in terram promiſſo, buccinę inſtar cauo, quo manuum loco vtuntur, os non longe à pectore habent, ſuillo haud abſimile: ex cuius ſuperna parte, duo magni dentes ſe foras exerunt, crura craſſa, robuſtaq; non vno oſſe conſtantia, vt pleriſq; olim perſuaſum fuit (quandoquidem ingeniculantur, vt ſeſſorem, vel onus admittant, exurguntq; inde ipſi per ſe) in pedes deſinunt diſci inſtar rotundos, duos, treſve palmos latos, inq; vngues quinq; diuiſos. Caudam habent bubalinę ſimilem, haud admodum hirtam, tres palmos longam: itaq; peſſime à muſcis, veſpiſque vexarentur, niſi natura illam caudę breuitatem alio ſubſidio compenſaſſet: vbi enim acrius ſe pungi ſentiũt, tanta rigiditate cutem contrahunt, vt ipſius rugis implicita conſtrictaq; hęc animalcula ſuffocent & enecent. Currentem hominem ſolo aſſequuntur paſſu. Eſt enim his corporis, & crurum magnitudini proportionatus. Fructibus & foliis arborum viuunt, nec vero vlla eſt tam valida tamq; altis defixa radicib. arbor, quam non proſternant & diffringant. Ad ſexdecim palmorum altitudinem creſcunt, itaq; tã conturbantur, qui elephantem, quam qui mare primum conſcendunt. Adeo effrenes ſunt natura vt habenarum omnino ſint impatientes. Itaq; iter, curſumq; tenere, quem voluerint, ſinendi ſunt. Suę tamẽ regionis hominibus non grauate obſequuntur, indigenam enim linguam non ſine intelligentia audire videntur. Itaque notis vocibus, verbiſq; facile reguntur, hominem, cui irati ſunt, proboſcide arreptum, & in altum ſublatum magna inde vi in terram proſternunt, pedibusque conculcarum non ante dimittunt, quam animam exhalarit. Non gignere elephantes, antequam vigeſimum ætatis annum attigerint, prodit Ariſtoteles. Adulteria neſciunt, neque enim præter vnam fœminam attingunt, à qua etiam ſedulo abſtinent, cum grauidam eſſe cognouerint: quandiu fœminæ vtero ferant, ſciri nequit: Cauſa, quod non pateat coitus: nam niſi in abdito mares non ineunt. Pariunt fœminæ enitentes poſterioribus cruribus, & cum dolore mulierum inſtar; recens editus fœtus lambunt, hi ſtatim editi cernunt & ambulant, oreq; ſugunt, non promuſcide. Elephantorum dentes monſtroſę ac ſtupendę magnitudinis, Venetiis, Romæ, Neapoli, & Lutetiæ viſuntur: ebur appellant, quod in arculas, lyras, pectines, & ſimilia hominum vſibus apta materia cedit.

Elephantes Indicos Africanis eſſe maiores.

Elephantũ crura pluribus oſſibus eſſe deartículata.

Quo ſe præſidio contra veſpas tueantur elephantes.

Qui vehuntur elephante conturbari, & qui nauem in mari.

Lingua indigena intelligentiam habere elephantes.

Li. 9. de hiſt. anim. ch. 27

Naſcituri quandiu Elephantes ferant in vtero fœtum.

Elephantis effigies.



EL COLEGIO DE MVESTRA SEÑORA DEL ROSARIO

Prodi-

Tom. 2. lib. 23. cap. 2. Proditum apud Theuetum legimus, in noui orbis Florida ingentes cerni Tauros, Butrol Barbarorum lingua dictos, pedalia cornua gerentes, gibbamq; in dorso camelinæ similem, pilo promisso & fuluo, cauda leonina. Non est fere aliud magis ferum animal, nunquam enim cicuratur, nisi matri ereptum. Pellium tegminibus Barbari aduersum hyemis inclementiam, cornibus vero velut alexiteriam vim habentibus aduersum venena se muniunt.

Cornua alexiteriam vim habentia.

Tauri Floridæ noui orbis insulæ effigies.



B

Tom. 1. lib. 2. cap. 10. Idem author prodit, vidisse se, dum Mari rubro veheretur, penes Indos mercatores monstrum magnitudine & membrorum conformatione Tigridi haud absimile, facie tamen humana, sed naribus valde resimis. Quin anteriores palmæ humanis manibus, posteriores vero Tigridis pedibus similes erant. Cauda carebat, pilo vestitum fusco: denique capite, auriculis, ceruice & ore hominem referebat, subnigris vero, sed crispis capillis Æthiopem cætera Tigris. Thanacth nominabant.

C

Thanacth.

Thanacth monstri indici effigies.



D

Vix nisi apud eos, qui viderint, quod sequitur monstrum, fidem impetrabit. Id fert Africa, vernaculaque lingua Haiit nominat magnitudine Cercopitheco minori par est, ventre valde prouoluto & in terram promisso, capite & facie puerum referens. Captum gemit, suspiriaque de imo pectore trahit hominis anxii & dolentis instar, colore cineritio est, pedumque palmis in tres vngues, quatuor digitos longos leoninis vncis acutiores, distinctis. In arbores scandit, illicque frequentius, quam in terra degit, cauda tres non amplius digitos longa. Mirum est & monstro simile, quod id genus monstra depasci & esitare quidquam nunquam quisquam conspexerit. Secum enim mapalibus inclusa diu Barbari periculum eius rei facturi detinuerunt: itaque ventorum afflatu viuere credunt.

Haiit,

E

Haiit

A

Haiit feræ hausto vento victitantis effigies.



B

Ex Leonis Africana historia, quod sequitur monstrum, transtuli, valde deforme est, & rotundo testudinis in modum ambitu, dorsum eius lineæ duæ flauæ mutuo se ad angulos rectos diuidentes intersecant, ad quarum singula extrema singuli oculi, singulæque aures affixæ visuntur, adeo, vt tale animal vndique quatuor oculis videat, totidem auribus audiat. Vnicum tamen os, ventremq; vnicum habet, ciborum receptaculum. Pluribus vero pedibus globosum eius corpus cinctum est, quorum opera in omnem partem, qua libitum est, incedere valet, absque vllo corporis circumactu. Cauda oblonga est & in extremo sui valde villosa. Asserunt incolæ eius animalis sanguinem vulneribus glutinandis quouis balsamo esse efficaciorem.

C

Sanguis balsamo instar collecticus.

Africani monstri effigies.



D

Mirum est genitum Elephanti hostem esse Rhinocerota. Itaque cornu, quod vnicum in nare gestat, ad saxa limato præparat se pugnæ, in dimicatione aluum maxime petens, quam scit esse molliorem. Longitudo Elephanti par, crura vero multo breuiora, color buxeus, aliquot tamen locis maculis distinctus. Spectandum Rhinocerota primus Romæ Pompeius exhibuit.

Plin. lib. 8. cap. 29.

E

Rhinocerotis effigies.

A



B

Plin lib. 8. ca. 33. Arist. lib. 2. de hist. animal. cap. 12.

Chameleontem Africa gignit: quanquam frequentior Indiæ est. Figura & magnitudo erat lacertæ: nisi crura essent recta, excelsiora latera ventri iunguntur, vt piscibus, spinaque simili modo eminet. Eminere rostrum, vt in paruo haud absimile suillo, cauda prælonga in tenuitatem desinens, & implicãs se viperinis orbibus; vngues aduncꝰ: motus tardior, vt testudini: corpus asperum ceu crocodilo: oculos nunquam aperit, nec pupillæ motu, sed totius oculi versione circumspicit. Omnino coloris ei mirabilis natura: mutat namque eum subinde, cum præsertim se proprio motu in tumorem agit, & oculis & cauda & toto corpore, teddirque semper, quemcunque proxime attingit, præter rubrum & candidum. Cutis ipsi est valde tenuis perlucidumque corpus. Itaque duorum alterutrum, vel in cutis perlucidæ tanta tenuitate rerum vicinarum color tanquam in speculo facile relucet; vel varie varii in ipso humores cõmoti pro animi affectuum varietate, varios in cute colores adumbrant, tanquam pullus Indicus in palearibus ex gutture & vertice pendentibus: defuncto pallor est. Scribit Mathiolus, ipsi viuo dextrum oculum reuulsum maculas albas corneæ tunicæ insidentes extergere: cum caprino lacte mixtum, & cõpori affructum pilos decutere, fel eius cataractas oculorum digerit.

Coloris chameleontis natura mirabilis.

Ad maculas corneæ albas remedium.

Depilatorium.

C

Chameleontis effigies.



D

De cœlestibus monstris. CAP. XXIII.

IN terra, marique monstra gigni monstrosum forte non fuerit: at in cœlo summoque aere monstra esse & videri, omnem superat monstri admirationem. Veterum tamen scriptis proditum crebro legimus, cometis barbatis, caudatis, capillatis, facibus, lampadibus ardẽtibus, columnis, bolidibus, clypeis, nubium hostiliter concurrentium agmĩibus, draconibus, duplicatis lunis, solibus & similibus monstris ac prodigiis, cœli faciem fuisse deformatam. Sed nihil magis prodigiosum vidit antiquitas, eo cometa, qui in Rustrica crine sanguineo horrens apparuit, 9. die Octobris anno 1528. adeo enim visu horribilis, adeo formidolosus erat, vt non pauci metu horrifico interierint, multi in morbos graues inciderint. Ab Oriente ad Meridiem progressus horam non amplius vnam & quartam eius partem durauit. In eius summo brachium incuruum visebatur, ingentem ensem manu minitabunda terrior & splendidior erat, vtrinque ad radiantia huius cometæ latera hastæ multæ, enses, pugiones, gladiorumque genera plura sanguine tincta, quibus humana capita multa capillis horrentibus, hispidaque barba tristia interiecta, visebantur.

Cometa crine sanguineo horrendus.

E

Decidui e cœlo ferrei longurii.

Visi quoque sunt magni crassique longurii ferrei è cœlo procidisse, qui in gladios enseſq; mox excusi sunt. Sugolię ad Hungarię fines saxum è cœlo cũ ingenti fragore lapsum est. 7. die Septembris anno Domini 1514. pondo ducentarum quinquaginta librarum: id ciues ingenti catena ferrea traiectum ex medio ciuitatis templo pendere voluerunt, viatoribusque per regionem suam diuitibus magni miraculi loco monstrari. Armorum crepitus & tubæ sonitus auditos è cœlo Cimbricis bellis, crebroſque

Li. 2. ca. 37.

prius & postea author est Plinius. Tertio vero consulatu Marii ab Amerinis & Tudertibus spectata

arma

A arma cœlestia ab Ortu Occasuque, inter se concurrentia, pulsis, quæ ab ortu erant, idem author prodit. Quod idem in Lusalia visum est ad Iubenum pagum duabus post mediam noctem horis, anno Domini 1535. sed & anno Domini 1550. die 19. Iulii in Saxonia non longe à Witemberga apparuit in aere ingens ceruus duabus armatis aciebus cinctus, magnum inter confligendum strepitum cientibus: eodemque momento sanguine copioso pluit, sol in duo fragmenta findi, eorum altero in terram prolapso visus est. Paulo ante ereptam Christianis Constantinopolim apparuit ingens in aere ad pugnam instructum & armatum agmen, cum canum & aliarum ferarum multa turba. Anno Domini 458. carne pluisse in Italia maioribus, minoribusq; frustis, prodit Iulius Obsequius. Horum pars antequam in terram laberetur, ab auibus exsorbta est, quæ in terram decidit, diu non putruit, nec colore, nec odore mutata. Anno Domini 989. imperante Othone tertio, frumento pluit in Italia. Anno Domini 180. lacte & oleo magna vi pluit, fructiferęq; arbores frumentum tulere. Narrat Lycosthenes, imperante Carolo quinto, dum Magdeburgum obsidebatur, tres soles sub horam septimam matutinam primum, indeque per totum diem visos, quorum medius lucidissimus, reliqui duo subrubri & sanguineo colore essent; nocte vero tres lunas apparuisse. Idem in Bauaria apparuit anno Domini 1554. Quod si in cœlo præter communem naturæ ordinem tam prodigiosa, portentosaq; fiunt, eadem in terra fieri, incredibile ducemus?

Præsagia Constãtinopolitana euersionis.

Pluuia monstrosa.

Terræmotus

B Anno Domini 542. tota terra contremuit, mons Ætna flammas, scintillantesque ignes vomuit, quibus vicinorum oppidorum & pagorum multorum ædificia conflagrarunt. Anno Domini 1531. in Portugalia octo dies terra tremuit, & singulis diebus septies octiesve, adeo vt in vna Lisbona vrbe 1050. ædificia ruerint, & amplius sexcenta rimis acta crepuerint. Nuper Ferraria terræ motu horrendo tota fere diruta est. Super omnia, quæ vnquam audita sunt, est prodigium, quod Plinii æuo Neronis principis ruina factum in agro Marrucino, Vectii Marcelli è primis equestris ordinis Olieto vniuerso publicam viam transgresso, armisq; inde contrario in locum Olieti profectis.

Terra de loco ad locum ingenti motu mutatio.

Quid aquarum miracula commemorem? ex quarum abyssis & gurgitibus sæpe ignes flammarumque globi ingentes eruperunt. Produnt ex D. Augustino, ignem sacrificii, qui per septuaginta annos Babylonicæ ciuitatis sub aquis vixerat, extinctum fuisse Antiocho vendente Iasoni sacrificium. Quid hoc miraculi est, ignem in aqua valere supra vim suam virtutemque insitam, aquam vero extinguentis naturæ obliuisci? Profecto vere hoc Philosophi dicunt, elementa sibi mutuis complexibus illigari & mirabili coniungi confœderatione, quæ inter se contraria intelliguntur, varietate pugnare.

Ignes ex aquarum abyssi erumpentes.

Ignis sub aquis viuens.

C

FINIS LIBRI VIGESIMIQVARTI.

D

E

DE SIMPLICIVM MEDICAMENTORVM FACVLTATIBVS, VNAQVE DE EORVM COMPOSITIONE ET VSV.

LIBER VIGESIMVS QVINTVS.

PRAEFATIO.

Eccles 35. *Medicamentum Deorum manus.*

INTER *causas, quas salubres dicimus, aliaq; quæ hominis sanitatem & morborum depulsionem spectant, facile principatum obtinent medicamenta: quæ, vt est à Solomone proditum, Deus de terra produxit, viro sapienti minime abhorrenda. Nihil enim in rerum natura existit, quod citius & tanquam miraculo ingentes morborum cruciatus sedet. Itaque ea, vt decet, exhibita, Deorum manus Herophilus nuncupabat. Inde adeo factum est, vt qui medicamentorum notitia claruerunt Medici, diuinitatis opinionem apud Veteres retulerint. Dici enim vix potest, quantas vires obtineant in arte medendi. Horum ob id cognitio non modo ad præcautionem, sed etiam ad morborum depulsionem per quam necessaria est.*

Quid Medicamentum, quidque ab alimento differat.

CAP. I.

Medicamentum quid. Cur alimẽtum & medicamentũ potestate talia dicitur.

MEdicamentum definitur id, *cui mutandi corporis secundum vnam aut plures qualitates vis ineſt, neq; ipsum vicissim in naturam nostram mutatur:* contra quam alimentum, quod in corporis nostri substantiam conuerti potest. Potestatis vero nomine, hæc definiuntur, quod naturam non habeant absolutam, sed in relatione quasi positam, atque ex corporum, à quibus sumuntur, conditione pendentem. Nam quod vni medicamentum est, id alteri existit alimentum; & quod huic alimentum est, hoc idem alteri est medicamentum. Sic enim, exempli causa, Elleborus est coturnici alimentum, hominibus vero medicamentum. Cicuta sturnis est alimentum, anseri venenum. Ferula asino pabulum est, reliquis iumentis toxicum. Atque hæc diuersitas accepta ferenda est naturæ animalium diuersitati. Idem enim in hominibus longo vsu contingere posse historiis proditum est. Narrant virginem Alexandro Regi oblatam, quæ napello & aliis venenis nutrita, ea sibi diuturno vsu & esu familiaria fecerat, sic, vt quem spirabat halitus circumstantibus hominibus venenatus & lethifer esset. Itaq; haud mirum videri debet, si quando contingat, medicamenta in corporis naturam & alimoniam facessere. Passim enim altilia & sues, serpentibus & buffonibus vesci innoxie intuemur, denique.

Virgo Venenis nutrita.

serpenti Ciconia pullos
Nutrit, & inuenta per deuia rura lacerta,
Illi eadem sumptis quærunt animalia pennis.

De Medicamentorum penes materiam & substantiam differentiis.

CAP. II.

Terra opum & medicamentorum parens.

QVemadmodum terræ visceribus, & maris atque aquarum voraginibus opum mundanarum, vt auri, argenti, & omnium metallorum, gemmarum & lapidum pretiosorum admirãdis virtutibus à natura instructorum abdita latet superbia: sic eiusdem terræ superficies infinita prope arborum, herbarum, & arbuscularum varietate vestita cernitur: in qua contemplari & mirari licet innumerabiles radicum, foliorum, florum, fructuum, lachrymarum, odorum, saporum dotes, & colorum, multo vero magis virtutum varietates. Eadem terra parens suo tanquam vbere inenarrabiles animantium species

Homo rerũ mundanarum rex.

mensa bonitas clarissime innotescit: qui tam amplam & opulentam naturæ supellectilem, tanquam patrimonium, nostro imperio subiecit, vt hac ad delitias nutricandi & medendi necessitatem vti liceret. Iure igitur à veteribus Medicis proditum est, medicamenta omnia ab animantibus, plantis, terra, aqua, & aere abunde submministrari.

Ab

Quæ ab animantibus gerant medicamenta.

Ab animantibus quidem totis & integris, vel ipsarum particulis, & excrementis medicamenta petuntur. Totis quidem: nam & sæpe vulpem integram & catulum, erinaceum, ranam, limacem, lumbricos, cancros, & alia animantium genera in vsum medicum assumimus. Particulis vero; quia iecur lupi aut hœdi, pulmo vulpis, os de corde cerui, cranium humanum, adeps, sanguis, caro, medulla, testes castoris, vnde castoreum, & similes aliæ particulæ in materiam medicam cedunt. Ab excrementis vero peti medicamenta intelligimus, cum cornua, vngues, pilos, pennas, cutem, vel, vrinam, stercus, saliuam, mel, oua, ceram, lac, lanam, sudorem & similia ad medendum transferimus. Quo etiam genere vniones, moschum, zibethum, œsypum, & alia huius generis comprehendimus.

A plantis.

A plantis tum integris, tum ipsarum partibus, seu arbores illæ sint, seu arbusculæ, seu herbæ medicamenta sumimus. Sæpe enim cichorio toto, bismalua, malua, plantagine & similibus: alias vero plantarum solis radicibus, medulla, ligno, cortice, surculis, caulæ, foliis, floribus, seminibus, fructu, succis, lachrymis, gummi, & musco vtimur.

A terra.

E terra quæ eruuntur in materiam medicam, vel terræ quædam species existunt, vel lapides aut metalla. Terræ quidem species sunt, bolus armenus, terra sigillata, cimolia, creta, argilla & similia. Lapides sunt pumex, pyrites seu marchasita auri, argenti, aut æris, marmor, magnes, gypsum, calx viua, lapis specularis, & quæ sunt huius generis. Metalla & metallica sunt aurum, argentum, stannum, plumbum, æs, ferrum, chalybs, antimonium seu stibium, cerusa, sulphur, cinabaris, lithargyros auri, argenti, tuthia vulgaris, pompholix vera, ærugo, alumen, atramentum sutorium vtrumque, salis genera, auripigmentum seu arsenicon vtrumque, & similia.

Ab aqua.

Ex aqua dulci quę sequuntur medicamina, depromũtur. Aqua pluuia, fontana, fluuiatilis, omniaque inde orta, vt lenticula aquatica, acorus vulgaris, nymphea, sisymbrium, aquatiliaque omnia animalia. Ex aqua salsa, sal, alcyonium, omnia corolla, omnes testæ piscium, vt ossa sæpiæ, spongiæ, marinaq; omnia animalia. Ab aqua mixta ex dulci & salsa androsaces herba, quæ frequens in stagnis ad Fontignanum & Setinum Narbonensis Galliæ promontorium exurgit: asphaltum, quod in mari mortuo repeperitur.

Ab aere.

Ab aere manant manna, mel aerium ob id dicta, omneque aliud roris genus, quod in vsum medicum venire potest, propter virtutes quas tum à sole, à quo sursum excitatur, tum ab aere, in quo aliquandiu moratur, tum à plantis, in quibus hæret, mutuatur.

De Medicamentorum simplicium penes qualitates & effectus suos differentiis.

CAP. III.

DEsignatæ medicamentorum simplicium species omnes, vna vel pluribus quatuor facultatum instructæ sunt, de quibus mox mihi futurus sermo est.

Prima facultas reliquis omnibus communis, & earum quoddam quasi fundamentum ex quatuor primis primorum corporum, seu elementorum qualitatibus, calore, in quam, frigiditate, humiditate, & siccitate manat. Atq; ea vel simplex est, vel composita, prout vna aut duæ primarum eiusmodi qualitatum in medicamenti temperie excellunt, quemadmodum subiectis tabellis describitur.

- *Simplex igitur est*
  - *Calefaciendi.*
  - *Refrigerandi.*
  - *Humectandi.*
  - *Siccandi.*
- *Composita ex duarum qualitatum excellentium complexu est.*
  - *Calefaciendi & siccandi.*
  - *Calefaciendi & humectandi.*
  - *Refrigerandi & siccandi.*
  - *Refrigerandi & humectandi.*
- *Calor quidem*
  - *Moderatus*
    - *Calefacit.*
    - *Attenuat.*
    - *Rarefacit.*
    - *Meatus reserat.*
    - *Digerit.*
    - *Suppurat.*
  - *Immoderatus*
    - *Inflammat & adurit.*
    - *Mordicat, vnde sequuntur.*
      - *Rapida attractio.*
      - *Rubificatio.*
      - *Consumptio.*
      - *Colliquatio.*
      - *Eschara.*
      - *Mortificatio.*
- *Frigiditas vero*
  - *Moderata.*
    - *Refrigerat.*
    - *Condensat.*
    - *Obstruit.*
  - *Immoderata.*
    - *Congelat.*
    - *Stupefacit.*
    - *Tabefacit, seu, vt loquuntur, extinctione mortificat.*

Si quæ ossa fracta fuerint, reponenda sunt, sed prospiciat Chirurgus, ne emplastica astringentia & refrigerantia, vt in fracturis fieri solet, applicet, his etenim expiratio & euaporatio veneni impeditur, applicetur itaque sequens cataplasma.

Cataplasma

℞. *Farinæ fabar.*
Lupinor. ana vnc. ß.
Pulu. radicum vincetoxici &
Angelicæ ana vnc. ß.
Folior. Rutæ M. ß.

Coquantur cum oxymellite ad formam cataplasmatis. Postea admisceatur theriaca, aut Mithridatii vnc. j.

Fractura singulis diebus semel deliganda, & cataplasma renouandum est, membro prius vino, *in quo radices vincetoxici & angelici coxerint, & theriaca parumque aceti rosacei dissoluta fuerit*, abluto. Idque tantisper, dum metus veneni adest, faciendum. Defensiuum ad latitudinem palmi minoris supra fracturam applicetur, vt eleuatio veneni ad partes nobiles impediatur.

Interim autem dum externa, vti dixi, adhibentur, Cor, partesque nobiles roborandæ sunt, non tantum suprascripto Epithemate, verum etiam conseruis & electuariis, veluti *conserua florum bugloss., cardiacæ, rosmarini, melissæ, corticum citronum, Diamargarito frigido, Lætificante Galeni, confectione Alkermes, aqua* B *cinamomi* & similibus.

Victus ratio.

Vtatur iusculis carnium recentium, in quibus *borrago, bugloss., calendula, acetosa, rosmarinus, maiorana, macis, crocus, cinamomum*, & similia coxerint. Ab omnibus, quæ difficilis sunt digestionis, abstineat.

Prospiciendum est quoque, vt aluus semper sit lubrica, idq; si naturaliter nequeat, fiat Suppositoriis aut Enematibus lenitiuis. A purgantibus & venæ sectione abstinendum est, nisi aliqua adfuerit occasio particularis, vbi consulendus est Medicus.

FINIS.

INDEX

C

D

INDEX.

Ligni guaiaci potus cur sit fugiendus ibid.
Limacis maris sarmatici effigies 577
Linamentorum pro vulneribus vsus & materia 748
Linea alba quid 33,58
Linguę continuitas quibus modis violetur 228
Linguæ fissę curatio ibid.
Linguæ fili excisio 361
Linguę impeditę & contractioris causę 361
Linguæ qualis caro 111
Linguæ vulneratę curatio 1094
Linimentum quid 610
Linimentorum differentiæ ibid. materia ibid.
Linitionis cum mercurio modus 961
Liniendarum partium præparatio ibid. diæta & accidentium correctio 962
Linimenti præparatio ibid.
Lippitudo quid 351 quæ insanabilis ibid.
Liquor balsamites Io. Mesuę 759 Eius admirandę dotes ibid.
Liquor stillatitius ad constringendas mammillas laxiores 517
Liquores stillatitii quomodo Empyreuma deponant 630
Lithargyros quæ inferat symptomata 452
Lixiuium aluminosum tingendis pilis quid conferat 625
Lixiuium ficulneum 853
Lixiuii præparandi modus 891
Lochia quot dierum spatio expurgentur 517 eorum curatio ibid.
Longurii ferrei cœlo decidui 590
Locus vulneratus quando indeligendo prętermittendus 313
Loci mutationem certissimum esse præsidium ad præcauendam pestem 460
Lues venerea quid 400
Luem veneream multas corpori inferre ruinas ibid.
Luem veneream scortatorum flagellum ibid.
Lues venerea quando primum irrepserit in orbem 682
Lues venerea quibus modis curetur 408
Luem veneream humiditatis excessu necare 434
Lumbarium neruorum quot coniugationes 131
Lumborum musculi 142
Luna cur tempore pestis sit vitanda 460
Lupia 714
Lupiæ curatio 717
Lupiæ ligatura curanda 159
Lupiarum materia, cancri species aliquando imponit ibid.
Lupiam certis signis à cancro dignoscere ibid.
Lupiam & ganglion eundem esse affectum 718
Lupus morbus 714
Luporum insidiæ 30
Luxatio quid 826
Luxatio quid proprie dicta 318
Luxationis species ibid.
Luxationum causæ 827
Luxationum quæ causæ interne & quotuplices 318
Luxationis curatio tribus modis obseruatur 30
Luxationum curandarum scopi 828,829
Luxationis cum fractura curatio 829
Luxationi obnoxia proprie ossa quæ 826
Luxatio quosnam habeat affectus complicatos ibid.
Luxationum modi à situ desumpti differentiæ 826
Luxationem vnius quam plurium vertebrarum periculosiorem esse 326
Luxationes quæ insanabiles 319
Luxati articuli, inflammatione præsente haud tentandam esse restitutionem 320
Luxationum ligaturæ quando sint soluendæ 303
Luxationum omnium communia signa à tribus potissimum desumi 827
Luxationum communia quædam iudicia seu prognostica ibid.
Luxati humeri sola extensione perfecta restitutio 827

M

Maceratio quibus materialibus non conueniat, antequam coniiciantur in alembicum 633
Machinarum bellicarum comparatio 248
Macularum pestilentium à pulicum morsibus quomodo differant 486
Magica vincula 324
Magistri muti qui 43
Magnes lapis quæ inferat incommoda 452
Malagmatum natura & vsus 838
Malagmatum vsus leges 839
Malagmata quæ non vsurpanda 840
Malleoli plumbei vsus 217
Malum quid 109
Mammæ substantia, magnitudo, figura, compositio 80
Mammæ connexio ibid.
Mammæ & vterus quomodo sibi inuicem consentiant & communicent ibid.
Mammarum actio & vsus ibid.
Mamillæ laxiores quomodo constringendę 517
Mandragora quæ inferat symptomata 450
Manu codiatę auis descriptio & effigies 584
Manus in genere quid 110
Manus differentię à situ ibid.
Manus proprie sumptę diuisio 126
Manus instrumentorum instrumentum vt ratio ars artium omnium ibid.
Manus cur exquisite & ad pondus temperata 4
Manus cur in tot digitos fissa 120
Manum in quatuor partes prolabi posse 827
Manus fractę curatio 308
Mas quid sit 499
Maris & fœminę distinctio 498 eius causæ ibid.
Mas cur generetur, cur item citius in vtero formetur 499
Marem citius excludi ex vtero 518
Mares cur nunquam mutentur in fœminas 552
Materialia calida pluries esse destillanda 630
Materialium suis viribus per destillationem exutorum signum 639
Materię chirurgicę vnde petendę 833
Maturatio quid & cum quo fiat 919
Maxillę inferioris descriptio 301
Maxillę fractę restitutio ibidem. quas requirat fascias 304
Maxilla inferior quomodo luxetur 846
Maxilla inferior intra quod tempus occalescat 304
Maxillę ab vtraque parte luxata cur cita mors 322
Maxillę restituendę quę rationes ibid.
Maxilla in restituenda quid chirurgum & ęgrum facere conueniat 325
Meatus auditorii quot ossa 110
Mediana vena quid 121
Mediastini substantia & magnitudo ibid.
Mediastini figura ibid.
Mediastini vsus duplex ibid.
Medicamentum quid 592
Medicamentum esse Deorum manus ibid.
Medicamentum cur potestate tale dicatur ibid.
Medicamenta ab animantibus venientia quę 593 quæ à plantis, terra, aqua, aere ibid.
Medicamenta tantum facultate esse & definiri 287
Medicamentorum temperies vnde ęstimetur 6
Medicamentum vnum idemque non omnibus corporibus posse mederi 8
Medicamenta simplicia pleraque cur in diuersas classes distinguantur 798
Medicamentorum compositio quid 602
Medicamentorum compositorum necessitas ibid.
Medicamenti aridi proprium 1009
Medicamenta detergentia 152
Medicamenta quę initiis quartanæ sint idonea 166
Medicamen Iouis præstantissimum 972
Medicamentum nullum proprie esse sarcoticum 603
Medicinia quid sit 917, 934
Medicinam esse æquiuocam nominis significatione, non autem appellatione 917
Medicina præcipiens ibid.
Medicinam etiam operari ibid.
Medicinæ instrumenta quę ibid.